Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Melchior Junius


Politicarum Quaestionum centum ac tredecim, In Eloquentiae Studiosorum Gratiam, stylum exercere cupientium, selectarum, ac in partes tres distinctarum Pars ...

1

[Lübeck]: Rostochii: Albertus: Reusnerus, 1603

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0001
DFG

FIa_3216..

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730521761/phys_0003
DFG

POLITICARVM
Quæstionum centum ac tredecim
IN
ELOQVENTIAE
STVDIOSORVM GRATIAM,
stylum exercere cupientium, selectarum, ac in partes tres distinctarum.

PARS PRIMA,
Cujus materias INDEX *præfixus indicabit.*

AVTORE
MELCHIORE IVNIO VVITEbergensi: Eloquentiæ Argentinensi in Academia Professore.



ROSTOCHII
Excudebat Christophorus Reusnerus, sumptibus Laurentij Alberti. Anno 1603.

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0006
DFG

PIETATE, ERVDITIONE, virtute, morumq; probitate præstantibus, DD.

BERNHARDO & HENRICO WEDEMHOFIIS Fratrib. Patritijs Lubecensibus

MELCHIOR IVNIVS

S. P. D,

MAGNVS semper Eloquentiæ honos habitus: tributum plurimum ijs fuit, eadem qui excellere visi sunt. Verùm quænam potissimùm ad hanc ipsam parandam necessariò requirantur, non inter omnes convenit. Nihil arti Carneades tribuit: ita hanc nos esse in lucem prognatos contendit: ut & blandiri illis, à quibus aliquid petendum, & rem gestam exponere, & id quod intendimus confirmare, & quod contrà dicitur refellere, & ad extremum

conqueri ac deprecari possimus. Alij artis præceptis, velut Syrenum scopulis, sic affixi adhæresc unt: ut nullo loco numeróque styli exercitationes habeant: de lauta rerum præclararum comparanda supellectile minimè solliciti sint. Quo nomine apud Platonem male Sophistæ audiunt: à Socrate quoque reprehenduntur, quòd linguæ ac cordis dissidium faciant: illam excolant: hoc negligant: verbis concinnam, venustam, ornatam, at non rebus & sententijs bonis instructam, eruditam, sapientem orationem afferant. Neque id sanè immeritò. Quid est enim Eloquentia? Copiosè, ut Cicero vult, loquens sapientia: Quis Oratoris gravi nomine dignus? Qui, Crasso si credimus, quæcunque res inciderit, quæ dictione explicanda, non modò compositè, ornatè, memoriter, & cum quadam actionis dignitate, verùm etiam prudenter dicere potest. Quodnam ejusdem officium? Vt doceat, ut delectet, ut moneat: quorum nihil præstabit: si aridam, jejunam, sterilem, exuccam, exanguem: non eruditam ac sapientem: non rerum ac sententiarum

tiarum floribus conspersam: non doctrinæ notis illuminatam orationem protulerit. Et damnarunt semper veteres locutulejos ac loquaces: multum eloquentiæ, parum sapientiæ habentes: nihil tam esse furiosum statuerunt, quàm verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus magnos, nulla aut sententia, aut scientia subjecta: inanem loquendi profluentiam, circulatoriam ac ventosam linguæ volubilitatem oderunt: in illam quoque sedulò curam incubuerunt: ut omnium eorum, quæ ad hominum mores, ad virtutem, ad vitam, ad Rempubl. ad alia pertinerent, cognitionem cum dicendi ratione conjungerent: sic operam Rhetoribus dederunt: ut sapiendi magistros, vel loquentes, vel mutos minimè negligerent. Testis rei hujus locupletissimus est Demosthenes, qui, ut ex Hermippo Plutarchus refert, Platonis diligens auditor fuit: octies descripsit Thucydidem, indeq; plurimum adjumenti ad Eloquentiam accepit. Testis Pericles ille, qui propter animorum motus, fulminare ac tonare est judicatus: dicendo excelluit, quòd Anaxagora Philosopho

præceptore utererur; non Rhetoribus tantum aures præberet. Quæ cum ita sese habeant, remis, quod ajunt, velisq; ei contendendum est ijs, qui seriò Eloquentiæ operam dare, atque inde opis quid & auxilij rebus afferre humanis cupiunt; ne, vel naturæ solum bonitate freti vel verborum suffulti copia ac ornatu: vel præceptorum, quæ in arte traduntur, nuda nixi scientia, forum aliquando premant: longis consiliorum sese committant subsellijs: in legationibus locisq; cæteris, dicendi partes, aut ipsi sibi sumant, aut impositas ab alijs suscipiant: sed præclararum quoque rerum cognitione sese instruant. Neque etiam in vitæ hujus brevitate: in imbecillitate humani ingenij: in eorum, quæ discenda, cum multitudine, tùm varietate, difficile hoc, aut τῶν ἀδυνάτων unum judicandum est: si modo dicendi ratio bona observata, ob oculos illa constituta fuerint, quæ patresfamiliâs frugi commendata sibi habent. Solent, qui inter Oeconomos numerari laudatos cupiunt ea, quæ ad alendam familiam sunt necessaria, non in hyeme demum, sed vere

vere & æstate comparare. Idem & Eloquentiæ in studijs tenendum, maturéque illa acquirenda, quæ usui aliquando publicis in officijs esse poterunt: Solent, qui non inter canalicolas stare olim volunt, ita esse animati, ut non emacitate cum aliis certent: sed quid usus requirat, vitæ postulet conditio, flagitet necessitas, considerent. Idem & in Eloquentiæ studijs tenendum: neque tantum operæ singulis in artibus ac scientijs sumendum, quantum illi sibi sumunt, qui vitæ suæ quasi tabernaculum in his collocaturi sunt. Solent qui ob rei familiaris lacunas macelli ac tonstrinarum fieri fabulæ nolunt, in consilium eos adhibere, qui rectè consulere, & velle, & posse videntur. Idem & Eloquentiæ in studijs tenendum: sunt andiendi qui docent: sunt muti consulendi magistri libri: sunt communicationes instituendæ assiduæ cum aliis, qui in literis progressus jam aliquos fecerunt. Solent, qui inter triobolares recenseri turpe sibi ducunt, illud cavent, ne, quod dicitur, pedem pinguem manus arida aliquando tangat, ordinem in re

familiari ſervare: non tori ſolum locum in interiori domus parte ſeligere, in calidiori frumentum, frigidiori vinum reponere: verùm etiam ſuas quaſi in tribus ſingula diſtinguere: ne quidem vaſa anathematica negligere: ſed curare, ut ſuo quæq; loco collocata ac ſuſpenſa conſpiciantur. Idem & Eloquentiæ in ſtudijs tenendum. Erit futurus Orator non modò in audnendo, in legendo, in meditando, in communicando diligens: laborioſus in colligendo: ſed & in aſſervando ſedulus: in digerendo induſtrius: locos ſuos communes habebit: ut, quoties uſus poſtulaverit, illicò res ac materias reperire bonas queat. Vt enim, horrea ſi deſiderentur, abſint grãmaria, inanis aratio, inutilis ſementis, infrugifera meſsis, etiam trituratio vana eſt: ita niſi cuſtodia accedat ac congeſtio, omnis in lectione, auditione, meditatione, communicatione labor eſt ſupervacaneus: ſiquidem tam felici præditi ingenio & memoria pauci inveniuntur, ut omnia, quæ legunt, vel audiunt, retineant: nec ad manus ſemper bibliothecæ eſſe poſſunt. Atque hæ me cauſæ impulerunt, ut in

Eloquen-

Eloquentiæ Studiosorum gratiam, Quæstiones quasdam politicas, maximè eas & colligerem, & seligerem, quæ usum hodie habent, & de quibus ut plurimum Oratores ac Politici dicere consueverunt. Ita verò facere hoc conatus sum, ut authorum ipsorum, qui adducuntur, verba, quantum quidem fieri posset, retinerem: utramq; in partem, tum rationes, tum exempla notarem. Rectè nec ne, aliorum judicium erit. Istud affirmare verè queo: nihil hoc in labore propositum mihi fuisse aliud: quàm ut dicendi facultati dedere sese qui cupiunt, ad rerum quoq; cognitionem excitarentur: modum qualemcunq; viderent, quo in congerendis digerendisq; authoribus probatis uti possint: simul etiam materias in promptu haberent: quôties stylum in manus sumere, declamando sese exercere, atque ita præparare umbratilibus ac scholasticis μελέταις ad serias actiones ne placeret.

Primam verò harum Quæstionum partem vestro potissimùm nomini ut inscriberem, inq; aliorum pervenire manus vellem, sunt, me quæ moverunt, plurima.

Aliquot ante annos, & quidem bene jam multos, summa mihi atque intima amicitia interceßit, cum Amplißimo, Clarißimo, Conßultißimoq; Viro, D. IACOBO BORDINGO, I. V. Doctore, vitrico veßtro: cùm ambo literis operam Lutetiæ Pariſiorum daremus. Iunxit nos tecti menſæq; communio: ßtudiorum communicatio copulavit: ßociarunt alia, quæ ad benevolentia quaßi conglutinandos homines ponderis momentiq; plurimum habere ßolent. Manßit amor ille conßtans ac firmus: nec, uti fieri aliàs conßuevit, honoribus ipßius mutatus eßt. Domum idem reverßus: in Iuris Profeßſorum primò ordinem inclyta ab Academia Roßtochienßi cooptatus: factus deinde Sereniß. Daniæ Regis Conßiliarius: tum Illuſtriß. Ducis Megapolitani Cancellarius conßtitutus: tandem à celeberrimæ Reipub. Lubecenßis Senatu prudentiß. ad Conßulatus obeundum vocatus munus, quo ßumma nunc cum authoritate laudeq; fungitur: licet ingraveßcente ætate laborum quandam relaxationem ac quietem ibidem quæßivißet: mei tamen amici veteris

veteris, etsi obscuri, neutiquam obliviscitur: colloquitur mecum per literas, benevolentiam amoremq; in me singularem spirantes: vos vestraq; studia ita mihi diligenter atque sedulò commendat: ut, cùm ex alijs, tum hac cura ac solicitudine verè paterno Eundem erga vos animo affectum esse intelligam. Studiorum post gratia ante triennium ad nos ablegati, ita res rationesq; vestras cunctas instituistis, & adhuc instituitis: ut placeat ingenium: grata vitæ probitas: morum accepta elegantia: constans probata discendi cupiditas sit. Non nihil, non aliud, non malè: sed Hoc, cujus causa hîc commoramini, agitis. Tempus illud, quod vel otio ignavo, vel convivijs, vel ludis, vel rebus alijs interdum consumitur, literis solis tribuitis: in his ipsis ordine bono atq; sic versamini: ut Iuris quidem scientiam, tanquam scopum ac finem semper vobis proponatis: at non interim Historiarum cognitionem, Philosophiam, disserendi dicendiq; studia atq; exercitationes negligatis. Probant hoc, ut alia latere nunc patiar, disputationes

de Te-

de Testamentis conficiendis & infirmandis: hæredibus præterea instituendis, summa hisce diebus, cum laude ingenij, doctrinæ, dexteritatis, publicè nostra in Academia habitæ. Testantur lectionum auscultationes, non ad ὀφθαλμοδουλείαν aliquã, semel at q̃ iterum, sed seriò at q̃ assiduò institutæ. Evincunt Orationes sententijs ingenîum, & eruditionem præclaram sapientibus, verbis gravibus ornatæ ac perpolitæ. Accedit huc & singularis in doctißimum & ornatißimum Virum D. THOMAM LINDEMANNVM, *præceptorem vestrum observantia at q̃ obedientia: quæ, ut felicitatis omnis mater est: ita meritò huic debetur. Neq̃ enim sic studia hic sua Iuridica tractat (in quibus ingenij doctrinæq̃ laudem jam insignem est adeptus) ut vestrorum commodorum obliviscatur: verùm in his ipsis provehendis curas at q̃ cogitationes suas omnes fixas locatas q̃ habet: sumit (quod tum' dicendi, tum judicandi magister optimus Quintilianus in præceptore bono requirit) parentis erga vos animum: in illorum sese locum succe-*

succedere existimat: à quibus traditi vos estis. Quibus nominibus, & mihi gaudeo, & vobis ac vestris ex animo gratulor, & simul testem hanc meam προσφώνησιν, cùm observantiæ meæ in Amplissimum Clarissimumq; D. Parentem, tùm erga vos, vestrumq; præceptorem benevolentiæ atq; amoris esse cupio. Quam ut eodem, quo à me instituitur, animo accipiatis, etiam atq; etiam rogo: DEVM quoq; Opt. Max. precor, deinceps quoq; studijs vestris clementer benedicere: ita profectiones susceptas actionesq; cunctas alias fortunare dignetur: ut domum aliquando salvi & incolumes reversi, magno Parentibus vestris gaudio: commodo amicis: inclytæ vestræ patriæ præsidio ornamento q; esse possitis. Valete, ARGENTINAE
14. Martij, Anno recuperatæ per
CHRISTVM *salutis*
M. DCI.

QVÆ-

INDEX.

QVAESTIONVM POLITICA-rum, quæ prima in parte continentur.

I. De Rerumpubl. generibus. pag. 1
II. De Rerumpubl. digreſſionibus. 4
III. Quomodo à digreſſionibus Rerumpubl. formæ verè dignoſcendæ. 11
IV. De Rerumpubl. præſtantia, & quænam ex his cæteris anteponenda ac præferenda. 13
V. De Rerump. mutatione ac interitu. 31
VI. De Rerumpubl. conſervatione. 40
VII. De Magiſtratu an ille gerendus. 68
VIII. Vtrum mulctis ac pœnis quis adigendus, aut alia cogendus ratione ſit: Magiſtratum gerat. 76
IX. Vtrũ etiã parvis, levibus contemptis rebus ac negotijs Magiſtrat⁹ & inſpectores conſtituendi, &, ſi talia oblata fuerint officia, obeun da. 77
X. Vtrum melius ſubitò inclareſcere, pervenire ad honores, dignitates, Magiſtratus magnos: an ſenſim & gradatim: & quibus in his modis atq; rationibus utendum. 82
XI. Vtrum qui ultrò ſeſe ingerunt & ambiunt Magiſtratus admittendi. 96
XII. Vtrum largitionibus uti & emere Magiſtratus ac honores liceat. 100

Vtrum

XIII. Vtrum sexus ratio habenda: etiam fœminæ ad gubernationes ac Magistratus admittendæ. 104
XIV. Vtrum in Magistratu legendo ætatis ratio habenda. 113
XV. Vtrum patriæ ratio in legendo Magistratu habenda: peregrinis hic potius quàm indigenis committendus. 120
XVI. An genus in Magistratu obseruãdũ 126
XVII. Vtrum in honoribus ac Magistratibus mandandis opes & facultates spectandæ. 138
XVIII. Vtrũ eruditio ac doctrina in Magistratu ac officijs publicis spectanda 145
XIX. Vtrum eloquens ut sit Magistratus necessarium. 154
XX. Vtrum virtus ac morum probitas in Magistratu spectanda. 162
XXI. Vtrum in Principe aut alio aliquo Magistratu eligendo corporis proceritas: formæ præstantia ac dignitas spectanda. 201
XXII. An uni multa officia committenda: Magistratus plures imponendi ac sustinendi. 204
XXIII. Vtrum, qui in sententijs dicendis à nobis discrepant ac dissentiant odio habendi: & quo illud modo faciendum. 209

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0019
DFG

XXIV. Vtrum conveniat in Senatu dicendi libertate uti: reprehendere alios: se ac sua laudare: & quomodo utrumq; ἠθικῶς ac citra invidiam atq; offensionem faciendum. 211

XXV. De dissensionibus & inimicitijs, quæ in Republ. capessenda expectandæ: quomodo in his sese gerere magistratum oporteat, ut illis sublatis pax ac concordia servetur. 220

XXVI. Vtrum Reipubl. sit utilius: annuos & ambulatorios an perpetuos Magistratus habere. 229

FINIS INDICIS.

QVÆ-

QVAESTIO. I.

DE RERVMPVB. GENERIBVS.

AQuæstione de Republ. ordiri placuit: quòd ijs quantulocunq; labore hoc nostro commodare conamur: qui non sibi, ut ajunt, ac Musis suis canere: verùm in luce vivere: hominum habitare oculis: premere forum: consulere alijs cupiunt. Caput verò, quemadmodum Aristoteles in Rhet. scribit, & hunc secutus Cicero in libris de Oratore affirmat, est. nosse Rempub. cognitos civium habere mores. Hoc cùm negligitur, aut ignoratur fit: ut tùm in consilijs dandis, tum negotijs alijs publicis ἀσχολίαι & διαπτώσεις, aberrationes à scopo & lapsus turpes ac pernicioſi plurimi oriantur. Hinc ἀριστοκρατικῶς loquitur Cicero, cum Senatu quando agit: populares δημοκρατικὰς sententias apud Quirites affert: ad Monarchiam propè sese demittit, ubi ad Cæsarem verba facit: neq; interim adulationis esse nomine suspectus debet. Etenim, si mercatores non vituperantur, qui secundùm fori annonam de mercibus vendendis consilia capiunt: non malè nautæ audiunt, quando

Vsus quæstionis:

ſemel mare ingreſſi ad ventos ſeſe accommodant: non reprehenduntur Medici, cùm ægrotorum conſuetudinem, conſtitutionem corporis, id genus alia obſervant: neq; aſſentationis Orator ac politicus inſimulabitur, ſi Reipub. & eorum, quibuſcum agendum rationem habuerit. Quantopere porrò hac ipſa de re ſæpè certetur, oſtendunt, alia nunc ſilentio ut involvantur, Orationes Perſiæ Electorum, quæ ſublato è vivis Cambyſe, pro Democratia, Ariſtocratia, Monarchia ſunt habitæ: probant duæ illæ contrariæ apud Dionem 52. libro: ubi Agrippa in eo totus eſt, Auguſto ut perſuadeat: imperium Reipub. reſtituendum, Monarchiam cum Democratia permutandam eſſe: diverſum Mecœnas ſtatuit.

Genera Rerumpubl. tria.

Sunt autem Rerumpubl. genera tria: Monarchia unius principatus: ἀριστοκρατία, potentia paucorum: Δημοκρατία, multitudinis gubernatio. Plato in Politico, de Repub. 8. de legibus 3. Ariſtoteles Ethicorum 8. cap. 10. Polit. 3. cap. 7. Rhet. 1. cap. 8. Plutarchus in libello de unius dominatione, imperio paucorum, populari ſtatu, Seneca lib. 2. Epiſt. Epiſtola 14. Æſchines in Timarchum & Cteſiphontem. Iſocrates in Nicocle & Panathenaico, Hermogenes de Politijs, Pontanus lib. 4. de Obedientia, Oſorius lib. 7. de Regum inſtitutione, Stobæus ſermone 46. Bodinus lib. 2. de Repub. Simanca de Repub. lib. 2. cap. 3. Gregorius Tholoſanus de Repub. lib. 5. cap. 1. Iulius Barbaranus in ſua

in sua officina Tit. de principe numero 10. Sigonius de antiquo Iure Rom. lib. 1. cap. 1. Franciscus Patricius lib. 1. de Regno Tit. 3. & lib. de Repub. 1. Tit. 4. Et Historici: Herodotus lib. 3. Dionysius Halicarnassæus lib. 2. Tacitus lib. 1. Polybius lib. 6. Dion lib. 44. & 52. Arrianus lib. 1. Nec deest ratio ab ipsis dominationum ducta generibus. Quia enim civitatis administrandæ ratio est id, quod summam in civitatibus autoritatem obtinet: necesse est autem dominatum obtinere & autoritatem, vel unum, vel paucos, vel multos: Rerumpub. genera tria præcipua oriuntur. Arist. 3. Polit. cap. 7. Deinde horum generum similitudines & exempla quasi à familijs peti possunt: eò quod patrum cum filijs societas præse regnum ferre videtur: & viri atq; uxoris communio Optimatum potestati respondet: fratrum verò conjunctio populari in gubernatione cernitur. Arist. lib. Ethic. 8. cap. 10. Franciscus Patricius lib. 1. de Regno Tit. 3. Confirmant præterea hoc ipsum potentißimarum nationum exempla, quæ principes hasce Rerumpub. formas sibi delegerunt. Sunt Monarchia usi Iudæi à Saule usq; ad Sedeciam: Assyrij à Nimrodo ad Sardanapalum usq;: Medi ab Arbace usq; ad Astyagem: Persæ à Cyro usq; ad Darium Arsami filium: Macedones à Carano usq; ad Perseum: Romani primùm à Romulo usq; ad L. Tarquinium Superbum: pòst à C. Iulio Cæsare ad hodiernum usq; diem & Rudolphum II Imp. Galli inde à Pharamundo:

Hispani à Pelagio: Dani à Gramo: Sueones ab Humulfo: Vngari ab Atila: Boëmi à Zecho: Poloni à Craco: Britanni à Britone: Scoti à Fergusio. Spartani verò liberam dominationem elegerunt. Ex Aristotele quoq;, Xenophonte, Thucydide, Plutarcho constat: diu bella inter se gravissima hos gessisse: ut alteri popularem, alteri optimatum statum stabilirent.

QVAESTIO II.

DE RERVMPVB. DIgressionibus.

ETsi verò mixtiones in his gubernationum atq; administrationum reperiantur: tamen formæ novæ non inde oriuntur: nomen ab eo, quod prædominatur dependet. Gregorius Tholozanus lib. 5. de Repub. cap. 1. Nec quæ intentione ac remissione trium harum nascuntur vitia & corruptelæ, genera Rerumpublicarum potiùs, quàm παρεκβάσεις, digressiones & aberrationes appellandæ videntur: Plato in Polit. Hermogenes de Politijs: Quæ inde oriuntur, quod quò hominum genus ad vitia est magis proclive: à natura propensum ad inferendas injurias: eò ad iniquitatem facilius dilabitur. Osorius de Regis institut. lib. 8.

Tyrannis, & hujus notæ.

Atq; hinc è regno Tyrannis prodijt, propriam duntaxat, non eorum utilitatem spectans, quibus præst.

præest. Plato in Polit. Aristoteles Polit. 3. cap. 7. & 4. cap. 2. Franciscus Patricius 1. de Regno Tit. 3. Nec paulatim aut clàm, sed palàm & aperta vi abripiens tam sacra quàm profana: tam publica, quàm privata. Plato 1. de Repub. Libidinem quærens nullis judicijs subjectam. Plutarchus de Rerumpub. formis. planè infinita nihili faciens modum præscriptum. Arist. 1. Rhet. cap. 8. Imperiosè, spretis gentium ac naturæ legibus, subditorum bona & libertatem ad divitias ac libidinem convertens. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 1. Similis parenti, qui sibi ipsi studet: suoq; deoq; filiorum fert commoda: Aristot. 8. Ethic. cap. 10. Patricius lib. 1. de regno Tit. 3. Et, ut sua conservet, nobiles ac sapientes è medio tollit: Sodalitates prohibet: Academias & Scholas evertit: cavet ne amicè & familiariter inter se cives vivant: litium semina spargit, alit, fovet: susurrones atq; exploratores adhibet: ad egestatem atq; inopiam populum redigit: bella nec justa, nec necessaria suscipit ac gerit: diffidit amicis: uxoribus & famulis indulget: adulatoribus ac hominibus nequam & improbis familiariter utitur: ut quoq; peregrinis potius quàm civibus aditum ad se atq; accessum concedit. Aristot. Polit. 5. cap. 11. & in hunc ibidem Casus. Talis extitit sub Busyride Ægyptio, qui hospites suos immolare est solitus. Diodorus Siculus lib. 5. & Cheope, qui templa claudere jussit; sacrificia prohibuit. Tyranni.

Herodotus lib. 2. Cambyse Persa, qui deorum simulacris illusit, primores Persarum nulla de causa vivos in caput defodit. Sabellicus lib. 8. cap. 3. Alexandro Pheræo, qui & ipse alios vivos defodere, alios, pro ludo, pellibus tectos aprorum & ursarum, venaticis canibus immissos discerpere & conficere jaculis est solitus. Plutarchus in Pelopida. Phalaride Agrigentino, qui æneum taurum, fontibus in eo inclusis, igni admovit, ut recepto æstu munitus medio cruciatu, non gemitus exaudirentur. Diodorus Siculus lib. 19. Sabellicus lib. 4. Dionysio utroq; Syracusano, crudelitate insigni. Trogus lib. 21. Valerius Max. lib. 9. cap. 14. Tarquinio Superbo Roman. rege, qui soccrum sustulit: subornavit qui qualibet de causa reos facerent: difficiles ad se aditus esse voluit: implacabili usus est vultu: ut tyrannidem ex professo exercere videretur. Dionysius lib. 4. Livius lib. 1. & 2. Orosius lib. 2. cap. 4. Eutropius lib. 1. cap. 10. Plinius de viris illustribus ca. 8. Val. Max. lib. 7. cap. 3. Volaterranus lib. 19. cap. 2. Tiberio Imp. qui in ore illud crebrò habuit: me mortuo terra incendio conflagret: Priamum prædicavit felicem, quòd cum patria & regno perijsset; plurimos innocentes necari jussit: interdixit ne capite damnatos propinqui lugerent: nemini delatorum fidem abrogavit. Suetonius in Tiberio, Dion, Cornelius Tacitus Annalium lib. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Caligula, qui omnia in omnes sibi licere gloriatus est; jactavit illud

illud: oderint dum metuant: optavit sæpe: ut populus Romanus unam cervicem haberet: doluit, sua tempora nullis calamitatibus publicis insigniri: in votis exercituum cædes, famem, pestem, incendia, hiatum aliquem terræ habuit. Dion, Suetonius in Caligula. Claudio Cæsare, qui Senatores & Equites Romanos plurimos, non quæstionis, ut Seneca scribit, sed animi tantùm ac voluptatis causa, & flagellis cecidit & torsit. Dion, Cornelius, Tacitus lib. 11. Annalium. Suetonius. Nerone, qui Carnificinam miserabilem exercuit: optimum ac nobilissimum quemq; exitio destinavit: urbem etiam Romanam multis in locis incendit: volentes extinguere ignem, in flammas præcipitari jussit. Dion. Suetonius. Domitiano, multis magnisq; vitijs polluto, & qui eò quoq; dementiæ venit, ut se Dominum ac Deum vocari, scribi, coliq; jusserit. Dion, Suetonius, Suidas. L. Antonino Commodo, omnibus incommodo. Herodianus lib. 1. Aelius Lampridius, Dion. Antonino Caracallo, cum sævitum in quoscunq; sine misericordia, quaq; causa, qui opibus excellerent: securi percussus Papinianus Iurisconsultus, quòd parricidium excusare nollet. Herodianus lib. 4. Aelius Spartianus, Dion. Antonino Heliogabalo, non nisi flagitijs claro. Herodianus lib. 5. Aelius Lampridius. Opilio Macrino, qui Macellinus pro Macrino fuit appellatus, quòd macelli specie domus jus sanguine cruentaretur. Herod. lib. 5. Iulius Capitolinus, Cuspinianus.

Galieno abdomini ac voluptatibus dedito, dies ac noctes in vino ac ſtupris volutato. Trebellius Pollio. Maximino, qui alios in crucem ſuſtulit, alios animalibus incluſos interemit, alios feris objecit, alios fuſtibus eliſit, nulla dignitatis ratione habita: omnes generis ſui conſcios interfecit, ignobilitatis tegendæ gratia; ut & amicos à quibus pauper adjutus fuerat. Herodianus lib. 7. Iulius Capitolinus. In Daniâ ſub Iarmerico rege, cujus crudelitas omnem beluinam rabiem ſuperavit. Saxo Grammaticus lib. 7. In Suecia ſub Oſtano, qui Goſtagus eſt pro Oſtano dictus, id eſt, prædiorum raptor lingua Gothica. Iohannes Magrius lib. 8. In Vngaria ſub Stephano II. qui multos equino fimo infoſſos enecavit: non paucos adactis per obſcœna facibus, aut ardentiſſima cereorum deſtillatione injecta, immaniter cruciavit. Bonfinius lib. 6 Decad. 3. In Lituania ſub Vitoldo, qui morti deſtinatos, urſinis iuvolutos pellibus canibus laniandos objicere eſt ſolitus. Æneas Sylvius lib. 2. de geſtis Alfonſi, Fulgoſus lib. 9. cap. 2.

Oligarchia & hujus notæ.

Manavit poſt Optimatum ab imperio Ολιγαρχία: in qua ad opum amplificationes, non Rempub. aut virtutem reſpicitur: pauci, & quidem illi imperium obtinent, quorum res domi amplæ ac lautæ ſunt. Plato in Polit. Ariſtoteles Polit. 3. cap. 7. & 8. & 5. cap. 6. inq; hunc Caſus. Patricius lib. 1. de regno Tit. 3. Faſtus & contemptus alioyum viget. Plutarchus de Rerumpub.

rumpub. formis. Omne genus imminanitatis dominatur: ut sibi quisq; caveat. Patricius lib. 1. de regno Tit. 3. Discordijs ac dissensionibus cuncta turbantur. Aristoteles Polit. 5. cap. 6. Non multum illi familiæ dissimilis, in qua perpetuis sese rixis mutuò uxores & mariti exercent: liberos negligunt, aut his ipsis crudeliter dominantur. Patricius de regno tit. 3. Qualis Reipub. Athenienſium tum constitutio exstitit: cùm de Lysandri sententia, triginta, nomine quidem administratores, re autem vera Tyranni constituti fuerunt: qui sua pro libidine cuncta egerunt: locupletissimos & optimos è medio sustulerunt: optimates omnes, vel vindictæ, vel avaritiæ saturandæ studio proscripserunt. Diodorus lib. 14. Et Romanæ sub Decemviris, qui pro libitu cuncta administrarunt: suo, non Reipub. commodo officium metiti sunt. Livius lib. 3. Fenestella cap. 14. Plinius Secundus de viris illustribus lib. 2. cap. 21. Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 2. Bodinus Methodi Hist. cap. 6. Et apud Heduos, cùm inter illorum principes factiones ortæ pernitiosæ fuerunt: alij Romanorum, alij Germanorum auxilia evocarunt. Cæsar lib. 6. Plinius lib. 7. Et apud Polonos: cùm Vajevodæ duodecim ad rerum gubernacula sederunt: verùm sua abusi sunt potentia. Cromerus lib. 2.

Vel alibi in Suecia ante annos aliquot factum, & tempore Caroli noni.

Prosluit deniq; à δημοκρατείᾳ populari statu ὀχλοκρατείᾳ, effusa populi potentia, vel potius furentis Ochlocratia & hujus nota.

rentis ac turbulentæ plebis impotentia : in qua egenorum major, quàm publicæ utilitatis ratio habetur. Plato in Polit. Aristoteles Polit. 3. cap. 7. & 8. Hermogenes de Polit. Ordo & Magistratus aboletur : juris æqualitas immodica licentia quæritur. Plutarchus de Rerump. formis. Et ex hac ipsa non uni plus, quàm alteri tribuendum esse contenditur: cùm nihil interim minus fiat. Dion lib. 44. Furibundè omnia pervertuntur. Osorius lib. 6. de Regis institutione. Et, ut humilis est servitus, cùm durioribus habenis comprimitur: sic, ubi frænum respuit, admodum insultat: deturbat sessorem: injustè, crudeliter, sævè agit ac dominatur. Patricius 1. de Regno Tit. 3. Atq; ita fratribus respondet, qui vel negligentia quadam, vel discordia rei familiaris curam famulis, aut alijs inferioribus committunt. Idem ibidem.

Talis Athenis fuisse videtur, cùm Pericles statum popularem in Ochlocratiam mutavit: Areopagitarum sublata, aut valde imminuta potestate, ad plebem infimam omnia judicia, consilia, totiusq; Reipub. gubernationem, propositis præmijs ac largitionibus, quasi escam imperij detulit. Plutarchus in Cimone, Bodinus Methodi Historicæ cap. 6. Talis & Romæ extitit à seditione Grachiana usq; ad Syllam & Marium. Idem ibid. ac legendi Livius, Appianus, Plutarchus, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassæus, & alij Romanæ Reip. Historici: ac inter recentiores maximè Carolus Sigonius.

Talis

Talis & Thebæorum constitutio: ubi plebs præceps atq; acerba proprio motu omnia egit: at maximas in miserias & calamitates incidit. Iustinus ex Trogo lib. 11. Et Corcyrensium, cùm seditio sæva exorta, alij Spartanos, Athenienses alij sibi in auxilium advocarunt: miserabilis civium subsecuta cædes est. Diodorus lib. 13. Et Argivorum, ubi à ferocienti plebecula potentes ac locupletes plus duobus millibus ac ducentis interfecti Diod. lib. 15.

QVAESTIO III.

QVOMODO A DIGRESsionibus Rerumpub. formæ veræ dignoscendæ?

NOn ab illis melius hæ dignosci separariq; posse videntur, quàm definitionibus. Siquidem Monarchia unius principatus appellatur, qui communi utilitati consulit. Aristoteles Polit. 3. cap. 7. & in hunc Casus. Plutarchus de Rerumpub. generibus. Vnus omnium est Dominus, aut electione aut successione constitutus, qui dominatur, sed κατὰ τάξιν, *ordine bono: finem quoq; habet, legitimè imperare:* τὸ δικαίως ἄρχειν. *Arist. Politicorum 3. cap. 5. & Rhet. 1. cap. 8. Bodinus de Repub. lib. 2. cap. 1. Obtemperandum quoq; esse statuit divinis imperijs & naturæ: quemadmodum & pijs legibus obtemperare cupit. Bodinus ibid. Commodum*

Definitiones singularum formarum Rerumpub.

Monarchia.

modum deniq; illorum, quibus præest, non suum quærit. Patricius lib. de Regno Tit. 5.

Aristocratia.

Aristocratia potestas dicitur paucorum, virtute quidem præditorum, sed plurium uno, hoc est optimatum: qui sic nominati; vel quia optimi viri Reipub. præsunt: vel quia ita præsunt: ut omnia ad illud referant, quod civitati & ijs utile est, quibus cum ea communicatur. Aristot. Polit. 3. cap. 7. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 1. Sic se gerunt: ut sua optimo cuiq; consilia probent. Cicero pro P. Sextio. In qua τῇ παιδείαν secundùm disciplinam agitur, quæ legibus subjecta est: finis quoq; est παιδεία, disciplina, & τὸν νόμιμον, legibus conveniens: ad gubernacula sedent, qui in civitate cum virtute degunt: leges observant ac colunt: civitatis suæ cognita jura habent. Arist. 1. Rhet. cap. 8. Patricius de Repub. lib. 1. Tit. 4. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 1. Hoc habent propositum, quod est præstantissimum, maximeq; optabile omnibus sanis, bonis, & beatis CVM DIGNITATE OTIVM. *Cicero pro P. Sextio.*

Democratia.

Democratia deniq; est potestas, cùm multitudo civitatis administrationem confert ad communem utilitatem. Aristot. Polit. 3. cap. 7. in hunc Casus. Patricius de Repub. lib. 1. Tit. 3. Finis est propositus libertas: quandoquidem nihil aliud popularis multitudo quærit, quàm potestatem habere vivendi ut velit. Arist. 1. Rhet. cap. 8. Patricius de Repub. lib. 1. Tit. 4.

Magistra-

Magistratus sortione distribuuntur. Arist. 1. Rhet. cap. 8. Quod pluribus videtur, id commune esse omnium judicatur. Patricius *de Repub. lib. 1. Tit. 4. popularia verè sunt: pax, libertas, otium: populares, quibus in fidem, & quodammodo in patrocinium pax externa, libertas, otium domesticum, deniq; omnia, quæ populo chara atq; ampla sunt. Cicero de lege Agraria contra Rullum Trib. pleb. ad populum.*

QVAESTIO IV.

DE RERVMPVB. PRÆstantia, & quænam ex his cæteris anteponenda ac præferenda.

ETsi *commemorata Rerumpub. genera difficilem admodum electionem habeant: non quoq; careant suis incommodis, sed, quemadmodum ferro rubigo, lignis vermiculi ac teredines adnascentes perniciem afferunt: faciunt, ut etiamsi externa omnia nocumenta effugiant, ab ipsis tamen, quæ cognata habent, absumantur: ita Reipub. cuilibet, pro natura illius peculiaris quædam malitia adnascatur & adhæreat. Polibius lib. 6.* Rerumpub. præstantia.

PRO MONARCHIA.

Tamen plurimi sunt, qui unius viri principatum ac Monarchiam reliquis Rerumpub. generibus 1. Ratio ab autoritate. præfe-

præferunt. Plato in Polit. Aristoteles Polit. 3. cap. 7. & 5. cap. 10. Xenophon in Pædia Cyri, Plutarchus in libello de unius & multorum dominatu, Isocrates in Nicocle & Symmachico, Seneca lib. 2. de beneficio, Cicero 3. de legibus, Volaterranus lib. 36. Philologiæ Tit. de Politijs, Pontanus lib. 4. de Obedientia, Beroaldus de optimo statu Reipub. Agrippa de Politijs, Thomas lib. 1. cap. 1. de Principum regimine, Vida lib. 2. de Reipub. dignitate, Erasmus in proverbio: multitudo Imperatorum Cariam perdidit, Bodinus de Repub. lib. 6. Patricius lib. 1. de Regno Tit. 3. & 13. & de Repub. lib. 1. Tit. 1. Stobæus sermone 45. Simanca de Repub. lib. 3. cap. 2. & 3. Barbaranus in sua officina Tit. de Principe numero 10. Greg. Tholozanus de Repub. lib. 5. Historici præterea: Herodotus lib. 3. Dionysius Halicarnassæus lib. 1. Iustinus lib. 1. Dion lib. 44. Curtius lib. ultimo, Suetonius in Caligula. Arrianus lib. 1. Æmylius lib. 1. de rebus gestis Francorum, Guicciardinus lib. 2. Tum & Poëtæ hanc maximè commendant: Homerus, qui unum regem requirit, πολυκοιρανίην damnat. 2. Iliad. Eandem laudant: Hesiodus in Theogonia, Euripides in Phœnissis & Archelao. Sacræ tandem literæ, quæ in Deut. legem regiam jubent: imperandi formam præscribunt: constituunt regem. 1. Regum: his obtemperare subditos volunt. Matthæi 22. Rom. 13. ad Titum 3. 1. Petri 2. Neq; sine causa ita sentiunt. Omnium enim antiquissima & prima Reipub.

Ratio 2.

illa

illa forma est: siquidem cùm easdem in sedes ac familias homines confluxissent, in ijs is, qui ætate antecelluit, naturali quodam jure imperandi authoritatem potestatemq; sibi vendicavit. Plato 3. de legibus. Cùm deinde homines hac in vita tanquam in exilio sint, & essentia puriori multum inferiores: nec, ut olim, libidine mala nulla, aut sine probro ac scelere vivant, divinior inter homines alios rex est constitutus. Polyb. lib. 6. Qui populo præpositus admirationi alijs esset, & facinorosos compesceret. Herodotus lib. 3. Vida lib. 2. de Reipub. dignitate. Tueretur etiam præstantes viros contra populum. Arist. Polit. 5. cap. 10. Quandoquidem difficile erat plures excellentes viros reperiri, & maximè tunc, cùm parvi virtutes fierent. Dion lib. 44. Omniumq; quoq; justissima & æquissima esse Monarchia videtur, quæ principem locum præstantissimo cuiq; defert, secundum illi, qui à primo proximus est. Isocrates in Nicocle. Et est æquissimum, ut uni alicui excellenti viro libenter & sponte cives obtemperent. Aristot. Polit. 3. cap. 9. Neq; sanæ mentis quisquam reperitur, qui non cupiat ejus potiùs Reipub. civis esse, in qua sua virtus non ignoratur, quàm nulla re vulgo potior delitescere. Isocrates in Nicocle. Sed neq; utilitates & commoda Monarchiæ desunt: quandoquidem, Philosophis ut placet, virtus unita longè potentior, quàm dispersa est: utilior quoq; ad omnes bonas ac rectas actiones. Patricius lib. 1. de Regno Tit. 13. Et

ab antiquitate.

Ratio 3. à causis.

Ratio 4. ab æquitate & justitia.

Ratio 5. utilitates cõmoda.

cùm

cùm consociatæ multitudinis sit bonum, ut ejus unitas pace conservetur, quantò ad pacem efficacius fuerit, & ejus unitatem servandam, imperium tantò utilius erit: manifestum autem, quòd unitatem magis efficere potest, quod est per se unum, quàm plures. Thomas lib. 1. de principum regimine cap. 2. Constat & illud, quòd qui ijsdem rebus perpetuò præsunt, licet minus ingenijs valeant, longa tamen experientia cæteris antecellunt, &, cùm à se omnia perfici oportere sciant, diligenter de singulis negotijs cogitant. Siquidem Monarchæ neminem habent, cui invideant: occasiones rerum nullas negligunt, sed in tempore omnia peragunt, quia neq; Curias neq; tempora definita habent: Rempub. ut suam non alienam curant. Isoc. in Nicocle. In bello præterea facilius est Monarchis, quàm cæteris imperijs, & milites conscribere, & his vel clàm, vel palàm uti: & alijs persuadere, alios cogere, alios largitionibus adducere, alios alijs officijs demereri.

Ratio 6. à facili.

Idem ibid. Sed facilius quoq; est, unius viri judicio ac voluntati satisfacere, quàm operam dare, ut multis & varijs ingenijs placeas. Ibid. Inde porrò facilè Monarchiæ dignitas ac præstantia deprehendetur, si reliquarum formarum ob oculos constitutæ conditiones fuerint.

Ratio 7. à comparatione aliarum Reipub. formarum.

Habent enim id cæteræ, quòd ferè is qui imperat, sub imperio ac potestate est: & qui eas gerit, ipse geritur & fertur: vim solidam atq; stabilem non habet, qualis in Monarchia est. Plut. de unius ac multorum imperio.

Atq;

Atq; ita imperandi autoritas & potestas cancellis exiguis circumscribitur: cùm in multos quasi frustatim divisa ac commutata est. Plato in Polit. Patricius lib. 1. de regno Tit. 13. Consilia deinde in adversarios trahuntur. Herodot. lib. 3. Cùm plures virtuti incumbunt in publicum, vehementiùs odia privatim excitantur & exercentur: vincere in sententia quisq; cupit ac princeps esse. Vnde seditiones & cædes, & ad unius tandem imperium devenitur. Herodotus ibid. ac Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 4. Hoc cùm spectatur, ut æqualitas sit inter ejusdem Reipub. socios, præclarum dicitur, se nemo plus alio posit: id consequitur, quod iniquum est, ut eadem bonis & malis tribuantur: inæquales consequentur æqualia: quod improbis prodest. Isocr. in Nicocle. Est & illud haud leve incommodum, quòd qui non perpetuis Magistratibus funguntur, ante privatam ad vitam redeunt, quàm publicorum negotiorum scientiam aliquam consequantur, eruditantur rerum usu: atq; sic idem hic metuatur, quod in morbis, cum sæpè novi medici adhibentur. Isocr. ibid. Pontanus lib. 4. de Obedientia. Et, dum alij alios intuentur, multa negliguntur: magna temporis pars negotijs domesticis tribuitur: communium curarum expertes homines sunt, privata cuiq; stimulatio. Isocr. ibid. Tacitus lib. 1. Virile censetur & forte, quod est præceps: quod modestum aut providum, ignavum. Thucyd. li. 3. Quin & inconstantia hic magna, & crebra tanquam tempe-

ſtatum, ſic ſententiarum mutatio. Cic. pro dom. Tam mutabile hic ingenium & perplexum, ut non facilè intelligi poſſit, quid conſtanter vulgus velit, aut nolit. Demoſth. 1. Olynthiaca, Salluſtius in Iugurtha, Tacitus lib. 1. Lipſius Polit. 4. cap. 5. Vt in mari unda fluctuat, fortuitò agitatur: alius accedit, abit alius: nemini curæ cordiq; res eſt publica. Demoſth. de falſa legatione. Huc accedit, quòd multi, tum ſuperioris, tum ſui temporis Magiſtratus, quàm peſſimè urbi præfuiſſe cupiunt: ut maximam illi gloriam conſequantur: Iſocrat. in Nicocle, Dion. Licentiam verò habere omnia ex animi ſententia agendi aut loquendi, id ſi in ſapiente homine ſpectetur, felicitatis publicæ cauſa deprehenditur: ſi verò in imperio, communis perniciei. Itaq; qui eam poteſtatem homini ſtulto concedit, hic infanti, aut inſano gladium porrigit. Dion lib. 52. Et, ſi tum rectè Reſpub. geritur, cùm neq; omnibus conſilia de ea agitata vulgantur, neq; in aperto agitantur: vel hoc nomine Monarchia reliquis anteponenda, in quibus mala hæc uſu venire ſolent.

Ratio 8. à ſimili.

Idem ibid. Et ut gubernatores cùm in re nautica plures dantur, qui ſimul clavum torquere velint, etiamſi artem gubernatricem tenent, nihilominus ſeipſos in navi dirigenda impediunt, ita quoq; in reliquis Rerumpub. formis impedimenta multa & varia injiciuntur. Bodinus 6. de Repub. cap. 4. Cùm etiam homines ipſi, quibus multitudo eſt compoſita, quisq; ſibi comparare ſtudeat, quod neceſſarium

cessarium duxerit, inq; propriam domum inferendum curet: malè illa cum Repub. agetur, si in tanta multitudine nemo sit unus, qui omnium simul curam gerat, & cujus studium, id solùm agere & comminiſci, quod ad commune civitatis bonum latè pateat, simulq; ad omnes pertineat. Aristot. Polit. 3. cap. 14. & Casus ibid. Pontanus de Obedientia lib. 4. cap. 1. Quod si verò optimè sese habent, quæ Naturæ congruunt, eò quòd artifex natura optima & prudentiſsima, non nisi optima & perfectiſsima quæq; suo in genere efficit, tum quoq; ars laudari solet, cùm ad Naturam quàm proximè accedit, vel hoc quoq; nomine Monarchia cæteris præferenda, cùm imperium naturale omne ab uno esse constat: quæ pulchra in mundo habentur singularia sint. Thom. lib. 1. de Principum regimine cap. 2. Pontanus lib. 4. de obedientia cap. 2. Lipsius Polit. 2. cap. 2. Casus lib. 3. Polit. cap. 7. Mundi siquidem dispositio ab uno curatore, & rerum universarum domino ac rege DEO gubernatur. Plato in Polit. Thomas 1. cap. 2. de regimine Principum. Patricius lib. 1. de Regno Tit. 13. Casus lib. 3. Polit. cap. 7. Vnus sol diei præest: luna itidem est una noctis oculus: gemini soles si forent, metuendum esset ne conflagrarent, & perirent omnia. Eustatius in Homerum, Beroaldus de optimo statu Reip. Stobæus Sermone 47. Patricius lib. 4. de Regno Tit. 13. Lipsius Polit. 2. cap. 2. Casus 3. Polit. cap. 7. Vnum regnum natura in arce,

Ratio 9. à conditione naturæ & rerum naturaliũ.

mentem scilicet rex regum collocavit: in membris cor movet omnia. Pontanus 4. de Obed. cap. 2. Casus 3. Polit. cap. 7. In cæteris animantibus hæc quoq; imago unius imperij deprehenditur: inter aves principatum aquila tenet: gruum volatus longiores non sunt sine duce: habent cervi unum quem sequuntur: sunt sub rege apiculæ, quo incolumi mens omnibus una est. Arist. Polit. 3. cap. 7. & ibid. Casus. Basilius in Hexamero. Pontanus lib. 4. de Obedientia cap. 2. Patricius de regno lib. 1. Tit. 13. Lipsius 2. Polit. cap. 2. Neq; hac in re illud negligendum, quòd pleræq; nationes & gentes dominos justos habere volunt, & habent: unum imperij corpus unius regendum esse animo censent: gentes omnes regibus quondam paruerunt. Cicero 3. de legibus, Tacitus lib. 1. Annalium, Sallustius in Conjurat. Catil. Isocrates in Nicocle, Bodinus de Repub. cap. 5. Lipsi. Polit. 2. cap. 2. Et stant diu Romani Imperatores inde à Iulio Cæsare. Plut. Dion, Tacitus, Suetonius, Appianus, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Volcatius, Herodianus, Ælius Lampridius, Pomponius Lætus, Sozymus, Aurelius Victor, Trebellius Pollio, Flavius Vopiscus, Paulus Diaconus, Cedrenus, Suida. Et Galli inde à Varamundo reges habent; Æmilius, Arnoldus, Ferronus, Freigius paralipom. Tilius in Chronicis Francicis, Hispani ab Athanarico, Rodericus, Sancius, & Rodericus Toletanus, Tarapta de rebus Hispanicis;

Ratio 10. ab exemplis.

nicis; Angli à Brittone: Polydorus Virgilius & Boëtius: Poloni à Lecho, Cromerus & Guagninus, Arnoldus itidem Milius. Dani à Dano, Saxo Grammaticus, Crantzius, Iohan. Magnus. Vngari ab Attila: Bomphinius, Soiterus, & Boscai in Pannoniæ Chronologia. Boemi à Zecho; Æneas Sylvius, Cromerus & Dubravius. Sueci à Magoga: Iohan. Magnus & Crantzius. Scoti à Phreguſio; Boëtius & Buchananus. Etiam Græcorum urbes, antequam cæca imperandi laborarent cupiditate, ſub regio imperio tranquillè vixerunt & beatè. Eſt teſtis Athenienſium Reſpub. quæ à Cecrope uſq; ad Codrum ſuos reges habuit: Pauſanias, Mercator, Sigonius de Repub. Athenienſi. Et Lacedæmoniorum, quæ uſa eſt regibus à Lelege uſq; ad Cleomenem: Xenophon, Pauſanias, Heraclides Ponticus de Politijs. Et Sicyoniorum, quæ ſub regio fuit dominatu, ab Agialao uſq; ad Ceuſippum: Pauſanias, Funcius in Chronologia, Mercator. Et Thebanorum, quæ tranquillitate eſt uſa regibus ab Ogyge uſq; ad Xanthum; Pauſanias: Vt & Corinthiorum, ab Ephyro uſq; ad Theleſten; Pauſanias. Sicut & Roma ſuos reges habuit à Romulo uſq; ad Tarquinium Superbum; Dionyſius Halicaruaſſæus, Polybius, Livius, Florus. Sed & illi, qui alias habuerunt Reipub. formas in rebus graviſſimis & maximis partim, unum imperatorem, partim regem cum imperio exercitibus, præficere voluerunt. Iſocrates in Nicocle.

Habuerunt ita Lacedæmonij præter Ephoros suos regem; Athenienses Sophum: Carthaginenses unum judicem: Romani unum Dictatorem: Veneti, Senatores multos, sed unum ducem. In cæteris deniq; civitatibus, quæ à pluribus reguntur, unus ferè semper est è plebe, nobilitate princeps, ad quem omnia referuntur, & cujus consilio plæraq; aguntur. Pontanus lib. 4. de Obedientia cap. 2. Patricius lib. 1. de regno Tit. 13. Casus lib. 3. Polit. cap. 7.

PRO ARISTOCRATIA.

Sed non minus rationes sunt in promptu, quæ Aristocratiam commendant. Quid ni enim illa placeret Optimatum potestas, quæ (uti tertia in Quæstione ostensum) inde dicta Ἀριστοκρατία, quòd, vel in ea optimi viri gubernacula teneant: vel ita præsint, ut ad communem utilitatem omnia referant: sint revera ἄριστοι viri optimi. Aristot. Politic. 5. cap. 7. Herodotus lib. 3. in Megapysi oratione. Et in qua deliguntur; qui neq; nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. Cicero pro Sextio, Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 1. & lib. 6. cap. 4. Qui hoc deinde unum intuentur, ad id cursum suum dirigunt, quod est præstantissimum, maximeq; optabile omnibus sanis & bonis cum dignitate otium Cicero pro Sextio. Virtuti maximè student, honores & præmia concedunt: hac ipsa omnia alia æstimant. Aristot. 8. Eth. cap. 13. Patricius de regno lib. 1. Tit. 3. καὶ παι-

1. Ratio ab Etymologia & nomine.

Ratio 2. à fine.

δείαν

δείαν morum disciplinam agunt: leges observant & colunt. Arist. lib. 1. Rhet. cap. 8. Et si Mediocritas omnibus in rebus laudanda: sunt extrema declinanda vitia: unius æquè atq; omnium imperia quasi extrema quædam repudianda sunt: in τὸ Ἀριστον μέσον, velut in medio acquiescendum. Bodinus de Repub. lib. 6. cap. 4. Præsertim cùm necessitas ad Optimatum nos impellere statum videatur: quomodo & in unius & omnium dominatione semper Senatui ac sapientibus imperij summa rerum committitur: aut omnia deorsum sublapsa ruere necesse est. Bodin. ibid. Vix quoq; fieri potest, ut in uno tot ac tam multæ virtutes reperiantur, quot & quantæ optimo principi necessariæ sunt. Plato in Polit. Longè præterea tutius videtur, cum Optimatibus, quàm plebe agere: qui rarò turpiter aut indecorè agunt, qui majorum suorum laudes secum periclitari cernunt: qui verò per se ignotus est, majores suos longè obscuriores habet; parvam admodum jacturam facere sibi videtur, si aliquando delinquat. Patricius de Repub. lib. 1. Tit. 4. Et plures facilius, quàm unus aliquis, munia Reipub. exequuntur consociatis laboribus. Aristot. Polit. 3. cap. 7. Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium. Res præterea graves alio modo, alia autoritate, alia gravitate gubernantur, quàm apud populum rerum planè rudem & imperitum. Guicciardin. lib. 2. Ac, licet non grati semper apud perversos cives sint Optimates, dum eos corrigere

Ratio 3. à mediocritate.

Ratio 4. à necessitate.

Ratio 5. ab utilitate.

Ratio 6. à facili.

Ratio 7. à gravitate & authoritate.

vehementiùs conantur: tamen ita sunt molesti, ut medicorum & chirurgorum vincula corpori: quibus artus luxatos suam in sedem restituere student. Plutarch. in comparatione Cimonis & Luculli.

Ratio 8. à comparatione Democratiæ.

Hinc cum viva pulchritudine & vera Aristocratia, depicta Democratia confertur. Arist. Polit. 3. cap. 7. Quæ quidem sæpè grata propter lenissimum & humanis. nomen est: re autem vera alia deprehenditur à prudentibus; dum non rarò in petulantia Democratia; legum neglectu labertas: confidentia æqualitas: licentia felicitas posita existimatur. Isocr. in Areopag. Xenophon de Athenienſium Repub. Bodin. lib. 6. cap. 4. Sunt hic non pauca alieno arbitrio facienda: tenendum id, quod multitudini placet. Thucyd. lib. 6. Quæ aut seruit humiliter, aut superbè dominatur. Livius Decad. 3.

Ratio 9. à collatione Monarchiæ.

lib. 4. Neq; Monarchia etiam suis incommodis caret. Licet hic pro libidine & impunè omnia agere: potestas mera unius, optimum quoq; virum extra consuetos sensus abijcit: nascitur ex præsentib. bonis insolentia: invidetur optimis quibusq;: probantur deteriores: utile judicat criminationes admittere. Herodot. li. 3. In bonos præterea reges ac principes crebro excitantur odia: quia homines existimant aliorum felicitatem suum damnum: infortunium emolumentum esse: nec tales tutò ac tranquillè vivunt, dum molestijs, difficultatibus, curis, tàm publicis, quàm privatis premuntur. Xenophon in Hierone. Dion lib. 52. Atq; hac de causa

Ratio 10. ab exẽplis.

plurimi

plurimi Aristocratiam cæteris Rerumpub. formis prætulerunt, & adhuc præferunt. Liberæ Imperij civitates pleræq; Optimatum statu gaudent: Hebræi Iudices seu Optimates primò delegerunt. Iosephus lib. 1. Antiquitatum, Sigonius de Hebræorum Repub. Lacedæmoniorum olim status conflatus fuit è Monarchia, Aristocratia, & Democratia. Habuit enim regem, qui Monarchiam: Senatum, qui Aristocratiam: Ephoros, qui Democratiam repræsentarunt. Sabellicus lib. Enneadis 5. Sigonius de Spartana Repub. Romani, Tarquinio Superbo pulso, Aristocratiam habuerunt: pro rege constitutis primò duobus Consulibus, post Decemuiris. Livius lib. 2. Dionysius lib. 4. Fenestella. Polydorus Virgilius de rerum inventoribus lib. 3. cap. 3. Sigonius de veteri jure Romanorum, Bodinus Methodi Historicæ cap. 6. Habuerunt & Massilienses hanc Reip. formam, & πωέχες suos honore præditos: ex quibus quindecim extiterunt principes: ex his rursus tres præsides, qui potestate sunt magnâ usi: in hunc tamen ordinem non cooptati, nisi liberos haberent, & de civium creati sanguine tertiam per generationem essent. Strabo lib. 4. Sic curam Rhodij plebis gesserunt, non tamen à plebe gubernati sunt: pauperes habuerunt ab Optimatibus victum: nec necessarijs ministerijs fraudata civitas est. Strabo lib. 14. Quin & in Gallia, cùm reges impotentes dominarentur, optimates imperium susceperunt: sacra, leges, judicio-

rum poteſtatem tenuerunt: nobiles rem curarunt militarem: plebs occupata fuit in agris & opificijs. Cæſar lib. 6. Bodinus Method. Hiſtor. cap. 6. Saxones itidem eo tempore, quo Carolus Magnus eos invaſit, duodecim Proceres ſibi præfecerunt. Crantzius lib. 1. μετεροπόλεως. Omnium verò pulcherrimũ exemplum ἀριστοκρατίας Venetorũ Reſp. ſuppeditat: de qua legendi ſunt autores. Egnatius lib. 6. cap. 1. Contarenus, Iovius, Bembus, Paulus Manutius, Ianotus, Bodinus de Repub. lib. 6. cap. 4.

PRO DEMOCRATIA.

Sed neq; Democratia ſuis privanda laudibus eſt. Cùm enim multitudo dominatur, nomen omnium pulcherrimum & ſpecioſiſſimum ἰσονομίας æqualitatis juris obtinet. Herodotus lib. 3 in oratione Othanis, Dion lib. 52. in oratione Agrippæ.

Ratio 1. à nomine.

Ratio 2. à neceſſitate.

Neq; Reſpub. ulla præterquam populari in ſtatu conſiſtere videtur: in qua ſcilicet populus publica, urbem, theatra, ærarium, leges, honores in commune quærit, ijſdem perfruendis ſumma voluptate afficitur. Bodinus lib. 6. de Repub. cap 4. Et, cùm homines ex Dijs ſint orti, ad eoſdem quoq; redituri: ſurſum reſpiciunt, nec ſub unius imperio eſſe volunt: neq; ferunt ſe laborum, periculorum, impendiorum, participes: rerum meliorum communicatione privari. Dion lib. 52. Et, ut natura alterum altero, neq; opibus, neq; honorib. ſuperiorem fecit: ita popularis ſtatus hunc ſibi propoſitum finem habet, ut

Ratio 3. à cauſa & origine naturali.

omnia

omnia omnibus æqua sint. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 4. Et est profectò hoc æquissimum, ut qui eandem naturam acceperunt: ex eadem gente sunt orti, iisdem educati moribus: iisdem legib. instituti: eundem corporum & animorum patriæ usum exhibent, omnium quoq; cæterorum communitatem habeant. Dion li. 52. Isocr. in Areopag. & contra Lochetem Pausanias in Messenicis. Guicciardin. lib. 2. Et quidem sic ab initio, exemplo avium, homines politiam cœperunt: ut communis esset labor, communis dignitas: per vices singuli partiri curas discerent: nemo esset honoris expers: nullus immunis labore. Ambrosius in Hexamero. Habet præterea finem libertatem, qua nihil melius aut præstantius, vel conceptis expeti votis potest. Arist. 1. Rhet. cap. 8. Patricius de Repub. li. 1. Tit. 4. Et, ut æquissima est Democratia: ita contrà iniquum videtur paucorum imperio multos regi: & eos, qui re quidem tenuiore, cæteris verò nihil deteriores sunt, magistratibus ac honorib. excludi: cumq; patria sit communis, alios regnum obtinere, alios inquilinorum loco esse, & natura cives lege Reip. functionibus privari. Isocrates in Panegyr. Nec prætereunda commoda sunt Democratiæ insignia, & propter quæ claris ac magnis civitatibus Democratiæ utiles judicantur. Isocrates in Areopag. Sunt siquidem ibi communia & bona & mala: nihil adversi alteri, prospera cuncta quisq; optat: aliorum misericordia calamitates prosequitur. Dion lib. 52. Atq; ita avaritia

Ratio 4. ab æquitate & justitia.

Ratio 5. ab antiquitate & vetustate.

Ratio 6. à fine.

Ratio 7. à cõtrario & iniquitate aliarũ formarum.

Ratio 8. à commoditate & utilitate.

avaritia tollitur, servatur amicitia. Bodin. li. 6. de Rep. cap. 4. Sunt hîc clementiora & humaniora omnia, quàm in paucorum & unius dominatu. Demosth. in Androcionem. Nihil agitur insolenter, quia sorte Magistratus eliguntur, & quidem administrationis suæ rationem reddere coguntur. Herodot. lib. 3. Nemo alium servitio premere audet, cujus successionem metuere cogitur. Ambros. in Hexamero. Etiam libertas in loquendo veritate nixa minimè hîc cohiberi potest: quæ cum metuitur, verecundia oritur; homines ad honestè vivendum, res capessendas præclaras excitantur. Demosth. in funebri orat. Collectim præterea universi, quàm viritim singuli, magis prosunt, prudentiùs ac subtilius consulunt multi, quàm pauci: non secus atq; cœna illa lautior est atq; copiosior, quæ multorum sumptibus, quàm quæ unius apparatur: & collectæ in corpore vires plus prosunt, quàm separatæ: & multi meliùs de Musica, quàm pauci: & carmine universi, quàm singuli judicant. Aristot. Polit. 3. cap. 7. & in hunc Casus. Idq; vel natura, vel experientia, vel judicio simplici & corrupto.

Ratio 9. à jucunditate. *Patricius lib. 1. de Repub. Tit. 4. Nec quicquam optabilius aut jucundius est, quàm, sublato Tyrannidis metu, libertatem à natura cuiq; datam recuperare. Bodinus de Repub. lib. 6. cap. 4. Quæ ita est jucunda, ut etiam bestiæ delectationis causa conclusæ, licet copiosiùs alantur, quàm si essent liberæ, non tamen facilè contineri sese patiantur. Cic. lib. 5.*

lib. 5. de finibus. Neq; *ulla de causa alia popularis gubernationis orta* ἀὐτονομία *videtur, quàm aliorum tyrannide: quàm cùm ferre non possent homines, se in libertatem vindicarunt.* Plato *lib. 3. de legibus. Accedunt huc incommoda, quæ maximè in Aristocratia sese offerunt. Cùm. n. multi ab honoribus arcentur, injuriæ autem impatiens natura humana est, virtutis comes invidia nascitur. Arist. Polit. 3. cap. 7. Et, dum inter paucos virtuti studetur, privata odia excitantur, unde factiones & seditiones.* Herodot. *lib. 3. Vbi verò pauci isti autoritate immoderata Remp. gerunt: Tyrannorum Respub. est metuenda, qui cò uno tyranno erunt pernicioſiores, quò pernicies omnis capitalior ac noxentior multiplicata, quàm sola est: vel propter opinionum saltem diversitatem, ambitionem, varias cupiditates, ubi diuturna concordia sperari non potest. Guicciardinus lib. 2. Exemplo est Sicyoniorum Respub. quæ, relicta Democratia, Tyrannos est multos ferre coacta.* Plutarchus *in Arato.* Et *Romana, cùm Decemuiros habuit, qui decem Tarquinij sunt, ob superbiam, dicti.* Livius *lib. 3. Decad. 1.* Dionysius *lib. 10. & 11.* Orosius *lib. 2. cap. 13.* Eutropius *lib. 1. cap. 12.* Florus *lib. 3. cap. 24.* Volaterranus *lib. 2. cap. 2. Et Athenienſis, cùm triginta à Lysandro nomine* ἀρμόσται *constituti & custodes, re verò Tyranni crudeliſſimi fuerunt.* Diodorus Siculus *lib. 14.* Sigonius *de Repub. Atheuienſi. Et Polonia, cùm, mortuo Lecho, primò duode-*

Ratio 10. à collatione incommodorum quæ in paucorum dominatu.

duodecim Palatinis gubernaculà credidit: pòst eligere Cracum coacta est. Cromerus lib. 2. Polon. Histor. Et Gallia, quæ Hilderico IV. expulso, suo è numero Ægidium eligit, jus qui diceret; sed alijs assumptis undè suspiciones & criminationes sunt variæ exortæ. Paulus Æmylius Veronensis in historijs Gallicis. Atq; hæc non paucos moverunt, ut Democratiam reliquis Rerumpub. formis anteponerent. Sunt, præter alias non paucas Germaniæ civitates, Respub. Helveticæ, montanæ maximè, quæ populares ac viritim suffragia ferunt. Simlerus. Athenienses urbis omnium prudentissima judicata popularis extitit: ac diu expers tyrannidis, inviolata à barbaris, libera à seditionibus fuit. Isocrates in Areopag. & Paneg. Herodotus lib. 5. Xenophon de Repub. Athenienses, Suidas, Pausanias in Messenicis, Plutarchus in Solone, Pericle & Aristide, Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 17. Sigonius de Repub. Athenienses, Bodinus de Repub. lib. 2. cap. 5. Neq; Romana Respub. ab hac abhorruit, cùm Tribunos plebis delegit, de quibus Livius lib. 2. Decad. 1. Dionysius lib. 6. Fenestella cap. 10. Blondus lib. 5. Lætus cap. 28. Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 2. Plinius Secundus de viris illustribus cap. 18. Sigonius de vetere jure Romanorum.

Ratio 11. ab exemplis.

QVÆSTIO

QVAESTIO V.

DE RERVMPVB. MVTATIONE ac interitu.

QVemadmodum Rerumpub. genera singula suam laudem, commoda haud levia exiguaq; habent: ita quibus illa aut mutentur, aut evertantur, aut conserventur considerandum, & considerandum diligenter erit. Regni privationem Saulo Samuel prædixit 1. Reg. 15. Macedonum potentiam ac gloriam bellicam, uno sub Philippo partam, altero pessum iturum Sibylla vaticinata est. Pausan. in Achaicis. Ante Domitiani interitum ita prodigia ac portenta multa præcesserunt: ut ipse affirmaret, futurum aliquid, de quo homines per totum terrarum orbem loquerentur: paucos ante menses quàm occideretur, cornix elocuta in Capitolio est: ἔστιν πάντα καλῶς: benè cedent omnia. Nec defuit, qui ostentum sic interpretaretur: Prædictiones mutationum ac interituũ imperij & regnorũ.

Nuper Carpejo quæ sedit culmine cornix
EST BENE non potuit dicere, dixit ERIT.

Suetonius. Dioni apes breve imperium ostenderunt. Plut. in Dione. Tarquino Superbo vultures, aquilarum fœtus implumes dilaniantes, regni amissionem prætenderunt. Alexan. ab Alex. lib. 5. cap. 12. Vitellio gallicaneus, supra caput & humeros residens, futuras calamitates præmonstravit. Suetonius. Lacedæmonijs amittendi imperij signum DEVS antè face ardenti ac trabe dedit. Diodor. Siculus lib. 15. Cræsi captivitatem & regni privatio-

privationem colubri indicarunt. Herodotus lib. 1. Plinius lib. 11. cap. 51. Antequam Alexander Magnus in Persas expeditionem instituit, Darium ferunt persicam acinacis vaginam mutari jussisse eam in formam, qua Græci eo tempore utebantur. Vnde Chaldæi vaticinati sunt: ad illos Persarum imperium transiturum: quorum rex esset vaginam imitatus. Q. Curtius lib. 3. Andronico Iuniore Imp. omnes simul, & adolescentes, & senes pileis usi sunt: non minus in palatio, quàm agris ijsq; multiformibus & peregrinis: cùm apud superiores Imperatores ætate tantùm provectiores aulici Proceres, pileis turbinatis uterentur: adolescentes omnes nudis prorsus capitibus essent. Eodem etiam more in vestibus usi sunt: ut prudentiores novitatem aliquam & destructionem imperij inde divinarent. Gregoras lib. 2.

Causæ mutationum in Democratia.

Sed non semper mutationes ac interitus ejuscemodi ante denunciantur; indicantur augurijs, portentis, prodigijs: itaq; unde oriantur inquirendum erit. Et quidem Democratiam, quæ omnium maximè mutationibus est obnoxia, uti affirmant: Plato in Polit. Aristot. 5. Polit. cap. 5. Polybius lib. 6. Patricius lib. 1. de regno Tit. 3. inde mutari constat: quòd primò in hac multum potest ductorum populi, & adulatorum ἀσέλγεια petulantia, qui divites calumnijs onerant: excitant popellum contra potentes ac nobiles. Arist. 6. Polit. & in hunc Casus, Demosthenes 4. Philip. & contra Androcionem

cionem Theocrinem Aristogitonem, Cicero 2. Agraria, Plutarchus de curiositate, Isocrates de permutatione. Vnde Pisistratus Athenienſem Rempub. evertit, & tyrannidem invaſit: cùm inopum cauſam adverſus divites tuendam ſeſe ſuſcipere fingeret. Plutarchus in Solone, Polyenus lib. 1. Meneſtheus, qui Athenienſi plebi, objecto libertatis ſomnio, adulatus eſt: poſt pulſo Theſeo, ipſe regnum obtinuit. Plutarchus in Theſeo. Alcibiades, qui blanditijs ſuis, ad res multas novas feneſtram aperuit, Rempub. turbavit. Idem in Nicia. Ephialten, qui ibidem Senatus Areopagi fregit potentiam, civibuſq; affatim meram libertatem propinavit: qua inſtar luxuriantes equi, poſtea deſijt populus audire principes: inſultare in inſulas cæpit. Idem in Pericle. Et apud Romanos Grachi, Saturnini, Rulli, & alij Tribuni plebis, à populo cum plauſu excepti & approbati. De quorum origine ac authoritate legendi Feneſtella cap. 10. Lætus cap. 18. Blondus lib. 5. Plutarchus in vita Grachorum, Alexander ab Alex. lib. 5.

Deinde nimia ſæpe poteſtas ductorum uni & alteri conceditur: ubi ambitio tyrannidem excitat: ſimiles tales canibus evadunt: qui ad gregis cuſtodiam aluntur: interim, aut famis intemperantia, aut prava conſuetudine in gregem ſæviunt. Plato de regno, Ariſt. 5. Polit. cap. 5. Cicero 2. Agraria. Hinc Clearchus Ponticus ab Heracleotis nimium evectus, crudeliſſimus ſimul ac ſuperbiſſi-

mus factus, adorari sese postulavit : vestes diys familiares induit : civium plurimorum necis atq; interitus author extitit. Polyænus lib. 2.

Accedit huc plebis primò inconstantia & levitas, quæ mutationibus crebris delectatur : secum post pugnat in electionibus & alijs : tum imperitia magna laborat : postremò quasi naturale odium adversus nobiles habet. Aristot. 5. Polit. & in hunc Casus. Quæ omnia Atheniensis Res est publica tum experta, cùm per quadringentos primùm, deinde triginta tyrannos, post Cassandrum labefactata: rursus per Theramonem, Thrasybulum, & Demetrium restituta est. Sigonius de Repub. Atheniensi lib. 1. cap. 5.

Causæ mutationum & interituum in Aristocratia.

Aristocratiæ deinde convertuntur & pereunt ob causas partim communes, partim proprias. Communes sunt : Magistratuum paucitas invidiosa : ignominia & contumelia in alios : denegati honores sperati : collatio inopiæ cum aliorum divitijs: tandem ambitio.

Propriæ : virtutis contemptus : legum vetustarum abrogatio : opes nimiæ, quæ partim ignavos, partim audaces homines reddunt : levium delictorum neglectio : vicinarum deniq; civitatum dissimilis aut planè contraria ratio gubernandi. Aristot. Polit. 5. cap. 7. & in hunc Casus. Hinc Romæ ex Patriciorum dignitate ac potentia patriciorum magni motus excitati, ut notant Livius, Plutarchus, Appianus, Florus, alij rerum Romanarum scripto-

scriptores. Hinc ibidem Miloni Clodius, patriæ Catilina insidias struxit Plutarchus in Cicerone & Cæsare, Salustius in conjuratione. Ingentes in calamitates populum Romanum Coriolanus conjecit, repulsam ab hoc in Consulatus petitione passus. Livius lib. 2. Dionysius lib. 7. & 8. Plutarchus in Coriolano. Florus lib. 1. Fulgosus lib. 7. Sabellicus lib. 9. Plinius de viris illustribus cap. 18. Hinc eadem in Repub. propter Appij Claudij contumeliam ac libidines Decemviratus sublatus. Livius lib. 3. Dionysius lib. 10. & 11. Orosius lib. 2. Eutropius lib 1. Florus lib. 1. Sabellicus lib. 4. Plinius de viris illustribus cap. 21. Hinc Athenis optimis quibusq; ac locupletissimis interfectis, triginta viri de Lysandri sententia delecti, magistratu abire jussi, urbe ejecti sunt. Diodorus lib. 14. Xenophon lib. 2. de rebus gestis Græcorum. Hinc in Polonia, ob licentiam paucorum Magistrorum & Vojevodarum ad unius deventum rursus dominatum est. Cromerus lib. 2. Hinc Florentini, cùm viderent à nobilibus populares ac plebeos opprimi unius eversa tyrannide, plures Rempub. invasisse. his aut cæsis, aut fractis, aut in exilium ejectis, popularem planè statum constituerunt, tandem in unius potestatem devenerunt. Bodinus Methodi Historicæ. cap. 6. Hinc Spartana in Repub. motus magni excitati, evertente omnia Agesilao Ephoro sua avaritia. Plutarchus in Agide. Et Milesiorum atq; Argivorum in urbe seditiones ortæ gravissimæ. Athenæus lib. 12. Diodorus lib. 15.

Hinc ambitiosa certamina Respub. quassarunt: Athenienſem Cliſthenes & Iſagoras. Herodotus lib. 5. Themiſtocles & Ariſtides, Plutarchus in Themiſtocle, Pericles & Cimon. Idem in Pericle, Nicias & Cleon. Idem in Nicia. Romanam, Sylla & Marius. Plutarchus in utriusq; vita, Plinius de viris illuſtribus cap. 67. & 78. Appianus lib. 1. Florus lib. 3. Oroſius lib. 5. Eutropius lib. 5. Cæſar itidem & Pompejus. Plutarchus in Cæſare & Pompejo, Appianus lib. 1. Florus lib. 3. Oroſius lib. 6. Eutropius lib. 6.

Monarchiæ mutationes & interitus unde?

Monarchiæ denique ſua decrementa ſunt certas ob cauſas orta: Et quidem videntur fatales eſſe regnorum periodi ac converſiones, quas Plato numeris aſſignat: tum eſſe metuendam mutationem ſtatuit: cùm in ſeſquitertia generatione junctus quinarius duas harmonias efficit: Politic. 8. Refutatur verò ab Ariſtotele lib. Polit. 5. cap. 12. & Caſo ibid. & Bodino Methodi Hiſt. cap. 6. his rationibus: quòd numeri res Mathematicæ in rerum exiſtentium agere interitum nequeant: quòd à mente ac voluntate humana Respub. & ordines civitatum dependeant: quòd ita qui ſentiunt, divinæ providentiæ plurimùm detrahant: divinis oraculis fidem detrahant: quòd ne quidem vitæ humanæ periodus definiri certa queat.

Et ſunt cauſæ aliæ, quæ ab Ariſtotele eodem in lib. cap. 10. recenſentur: injuſtitia, metus, contemptus, avaritia, ambitio. Vnde Romæ Tarquinij

regno

regno exciderunt: Reip. mutata forma est: quia pater socerum suum Servium Tullium insepultum abjecit: judicia, non ad jura aut leges, sed mores suos retulit. Livius lib. 1. & 2. Dionys. lib. 4. Orosius lib. 2. cap. 4. Eutropius lib. 1. Volaterranus lib. 19. Sabellicus lib. 6. Fulgosus lib. 1. Filius vim Lucretiæ intulit. Idem ibid. & Plinius de viris illustribus cap. 8. & 9. Pœnæ metu ab Arrabano interemptus Xerxes Persarum rex potentißimus fuit. Diodorus lib. 11. Sardanapalus fœminam habitu mentitus, ignavus, luxui ac libidinibus deditus, degens cum scortis spretus à suis, pyra in regia extructa, incendio se dedit: ex Assyrijs regibus ultimus Monarchiam tenuisse dicitur. Diodorus lib. 2. Darij postremi Persarum regis superbia quanta extiterit, vel inde colligi potest, quòd gemino prælio victus ab Alexandro Magno, amißis etiam liberis, uxore & matre, quæ hostis in potestatem venerant, superpè ad Alexandrum scripsit: ne regis quidem nomine dignatus est. Plutarchus in Alexandro, Sabellicus lib. 4. Animi elatio ac dominandi cupiditas in Perseo, in causa fuit: ut à Persis ad Romanos Monarchia transferretur: qua ille motus Demetrium fratrem veneno per Didam sustulit: patri quoq; Philippo insidias struere cœpit: Romanos contra se excitavit. Plutarchus in Æmilio. Livius lib. 4. & 5. Appianus in Mithridatico, Florus lib. 2. Orosius lib. 4. Eutropius lib. 1. Sabellicus lib. 8. Plinius de viris illustribus cap. 58. Nec imperio Romano, nec

ipsi Imperatori avaritia Mauritij profuit: quia pro singulis militibus à Chajano in prælio captis, lytri loco, unum numerare nummum recusavit. Diaconus in Mauritio. Nec Iustini II. cui tanta cupiditatis rabies exstitit: ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus quæcunq; rapiebat auri talenta congregaret. Paulus Diaconus in Iustino II. Et sunt hæ causæ corrumpentes singularum formarum Reipublicæ.

Causæ generales mutationum in imperijs ac Rebusp.

Generales porrò aliæ quarum prima in natura posita: siquidem non fieri posse videtur: ut etiam optimè constituta Respub. semper maneat: cùm omnia facta ac creata intereant. Plato Polit. 8. Altera vitiorum est illorum qui præsunt. Si enim rectè gubernarentur Respub. diuturniores, vel etiam immortales quodammodo essent. Idem 3. de legibus, Xenophon de Repub. Lacedæmoniorum, Patricius de Regno Tit. 3. Vnde quasi oraculum istud habendum: tunc Rempub. perituram, cùm ferrum vel æs custodiæ authoritatem obtinuerint: hoc est, ad gubernacula mali ant imperiti sederint. Plato Polit. 3. Tertia Injustitia quia regnum transfertur à gente in gentem propter injurias, contumelias, dolos. Syracid. 10. Neq; mirum istud videri debet: quod Respub. conservatur propter mutuam communicationem, secundum aliquam proportionem, quæ justitiæ est: nec potest malitia regnum possidere, quæ ne unam quidem privatam familiam regere potest. Ambrosius 2. offic. Quarta ignorantia

rantia & inscitia, quæ potentiam summam perdit: præsentissima est causa exitij omnium civitatum. Plato libro tertio de legibus Vnde affirmatur, quod tamen risu excipitur, nullam malorum quietem in civitatibus fore, nisi optimates philosophi extiterint, aut philosophos adhibuerint. Plato 5. de Repub. & Epistola 7. ad Dionis propinquos ac familiares. Quinta ingratitudo & contumacia subditorum: cùm pij principes ac magistratus non agnoscuntur, & tyranni à Deo submittuntur. Ita, spreto Samuele Saul rex fit. 1. Reg. cap. 8. Salomonem Ieroboamus excipit. 3. Regum cap. 12. Ezechiam Manasses sequitur. 4. Regum cap. 21. Sexta seditio civium: quæ oriri solet, cùm pauperes in Democratia vincunt: habent in Aristocratia potentiam divites superbi, eademq; perperam utuntur: factio unius evadit in tyrannidem in Monarchia. Plato Polit. 8. Aristoteles Polit. 5. cap. 1. Casus ibid.

QVAESTIO VI.

DE RERVMPVB. CONservatione.

NEq; ex allatis hactenus dubitari potest: quænam sint Respub. atq; Imperia quæ conservent: cùm contraria contrariorũ sint efficientia salutis interitus opponatur. Arist. Polit. 5. cap. 8. primaria tamen causa conservans pietas ac religio est, quæ rectè Causæ conservantes Reipublicæ.

fundamentum Reipub. constituitur. Plato 2. Polit. Et qua sublata simul tollitur fides & societas generis humani, & excellentissima virtus Iustitia. Cicero 1. de natura Deorum. Idcoq; si terras obeamus, invenire possumus urbes muris, opibus, numismate carentes: at urbem nemo unquam vidit templis ac Dijs carentem: quæ precibus, jurejurando, oraculis non utatur: non, bonorum causa, sacrificet: non mala sacris avertere conetur. Plutarchus adversus Colotem. Omninoq; Reipub. inde felicitas pendet. Neq; Romani numero Hispanos: nec robore Gallos: nec calliditate Poenos: nec artibus Græcos: sed pietate ac religione omnes gentes ac nationes superarunt. Cicero de Haruspicum responsis. Vnde Numa Pompilius Romanorum Rex II. imperium suum à divinarum rerum observatione cultuq; auspicatus est: sacra plurima instituit. Livius lib. 1. Plutarchus in Numa, Dionysius lib. 2. Florus lib. 1. Orosius lib. 4. Eutropius lib. 1. Plinius de viris illustribus cap. 3. Romanus pòst Senatus ita magni religionem fecit: ut quotiescunq; à Magistratu coactus ille esset, idipsum, quod primò proponebatur, ad religionem pertineret, nullaq;, quanquam gravior causa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteverteret. Fulgosus lib. 1. Concilia & Comitia non inirent, nisi cum præfatione deorum, ijsdemq; benè juvantibus. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 3. Et habuerunt omnes penè gentes loca sua sacra: habuerunt ritus ac ceremonias suas.

Neq;

Neq; tantùm Iudaico in populo religionis extiterunt antistites veri: pontifices, sacerdotes, Levitæ, Cantores, Ianitores Nathinæi: quorum in Exodo ac Levitico sacræ literæ mentionem faciunt: memnerunt Iosephus, Philo & alij: verùm etiam instituti fuerunt apud Romanos Flamines, Diales, Martiales, Quirinales, Salij: de quibus Livius lib. 1. Plutarchus in Numa & Problem. 42. & 46. Feneſtella, Pomponius Lætus, Blondus, Alexander ab Alexan. lib. 6. Plinius de viris illuſtribus cap. 3. Ovidius lib. 3. Faſtorum. Apud Athenienſes ἱεροποιοὶ ſacrifici, qui ſacra peragentes obſervarent, & Boonæ, Miagogi, Orgeones, Geraræ, Ciſtiferæ, Theori, Hieromnemones: quos ex Pauſania, Plutarcho, Demoſthene, Polluce, Suida, Heſychio notat Sigonius de Repub. Athenienſium lib. 4. cap. 7. Imò, cùm captis à Lyſandro Athenis, de evertendis ijs Spartani conſultarent, Delphico oraculo conſulto reſponſum tulerunt: Communem Græciæ aram ne moveatis. Aelianus lib. 4. variæ Hiſtoriæ.

Cauſa altera conſervans ſapientia eſt. Neq; enim magnificis murorum ſtructuris, neq; numeroſa civium multitudine, vel veritur, vel continetur civitas, ſed ſapientia ac moderatione gubernatorum. Iſocrates in Areopagitico. Et licet Reſpublica labantur ac ruant, tamen ſapientia adhibita facilè emendari, & ad rectam revocari moderationem poſſunt. Oſorius lib. 3. de Regum inſtitutione.

Ideoq; sacræ literæ cognitionem sapientis tanquam inundationem abundare, & consilium illius, sicut fontem purum vitæ, affirmant. Eccl. cap. 21. Hinc sub Salomone rege felix Iudaici regni status extitit: tanta auri argentiq; Hierosolymis abundantia, quanta lapidum fuit. lib. Regum 3. cap. 10. Sub Augusto tranquillum ac pacatum maximè fuit Romanum imperium. Suetonius, Dion lib. 53. Miserum contrà sub stultis Impp. Caligula, Claudio, Heliogabalo. Suetonius, Tacitus, Dion. ut & Persicũ sub Xerxe, qui Hellesponte compedes ac verbera stultè minitatus est. Herodotus lib. 7. Diodorus. lib. 11.

Tertia legum est observatio. Tam enim diu vigent Respublicæ, quamdiu leges in his bonæ dominatum obtinent & observantur. Plato in Critia. Aristoteles 5 Politic. cap. 8. Xenophon de Spartana Republ. Æschines contra Ctesiphontem, Demosthenes contra Aristogitonem, Cicero pro Cecinna, Cluentio, P. Sextio, Philip. 2. In lib. 3. de legibus, 1. off. 5. de Finibus, Isocrates in Panegyrico, Sociali, Panathenaico, Plutarchus adversus Colotem, & in libello de vitioso pudore, Xenophon lib. 4. de dictis ac factis Socratis. Osorius lib. 5. & 7. de Regis institutione, Patricius de Repub. lib. 6. Titulo 5. Simanca de Repub. lib. 4. cap. 1. 16. 17. Hinc Spartæ Timoris templum juxta Ephororum collocatum tribunal fuit: ut ijs, qui lebigus non parerent, pœnæ metus injiceretur. Alexander de Alex. lib. 2. cap. 4.

Et

Et Athenienſi in Repub. Democratia iccirco progreſſus habuiſſe felices putatur: quòd leges ſuas religioſiſſimè illa obſervavit. Pauſanias in Meſſenicis. Nec poſtrema tempore belli Punici cauſa Carthaginenſium infortunij, felicitatis Romanorum ea affertur: quòd leges tum illi neglexerunt, hi ſtudioſè religioſèq; obſervarunt. Polybius lib. 6.

Quarta Iuſtitia eſt, quæ Regis ſolium firmat. Proverb. 16. ſtabilem Reipub. facit ſtatum: propterea quòd pro dignitate præmia cuiq; tribuit: efficit ut quæ ſua ſunt quisq; obtineat: in bonorum diſtributione eſt diligens: non admittit, ut per vim ac dolum quicquam agatur. Ariſtoteles Politic. 5. cap. 7. & in hunc Caſus. Patricius de Repub. lib. 6. Tit. 5. Cujus vis tanta: ut nec illi quidem, qui maleficio ac ſcelere paſcuntur, poßint ſine ulla particula Iuſtitiæ vivere. Cicero 1. offic. Ipſa etiam infeſtos amicos reddat: hoſtes perinde, ut magnes ferrum attrahat. Conſtant. Manaſſ. in Annalibus. Imò Iuſtitiæ ſervandæ cauſa, videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cùm premeretur inops multitudo ab his, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cùm prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat. Cicero. 2. Off. Hinc Ariſtides ille Athenienſis, ob inſignem juſtitiam Græcorum felicitas eſt dictus: quæ eum tulit ætas eſt aurea appellata Plutarchus in Ariſtide,

Sabell.

Sabell. lib. 4. Trajanus Imp. ita charus extitit: ut quoties pòst Imperator crearetur, fauſtæ acclamationes illæ audirentur: Sis felicior Auguſto: melior Trajano. prætorij præfectum aliquando eligens, eidemq; in manus tradens gladium diceret: hunc cape enſem: & ſi bonus fuero, pro me: ſin malus contra me utitor. Dion, Aurel. Victor, Suidas.

Quinta concordia & diſſidiorum fuga: quandoquidem nihil melius eſt civitati, quàm unio, nihil perniciosius quàm diviſio: neq; ullæ ſunt vires, quæ concordem ac benè moratam civitatem diruere poſſint. Plato Polit. 5. Ariſt. Polit. 5. cap. 8. Patricius de Repub. lib. 6. Tit. 6. Oſtendit hoc Agrippa, legatus ad plebem Rom. diſſidentem à patribus miſſus fabula de membris corporis inter ſe cum ventre diſſidentibus. Livius lib. 2. Dionyſius Halicarn. lib. 6. Indicavit Sertorius equis duobus in concionem adductis: quorum alter imbecillis jam & ſenex, alter magnus ac validus. Plutarchus in Sertorio. Docuit Scilurus faſciculis: quando octoginta filiorum pater, morti jam vicinus, faſciculum ex jaculis unicuiq; porrigens confringere juſſit. Cùm autem defeſſi omnes nihil effeciſſent, ipſe ſigillatim extrahens, jacula omnia facilè fregit: hoc ipſo argumento concordiæ atq; unionis utilitatem monſtravit. Plutarchus in Apophteg. Idem planum eodem modo conatus eſt facere I. Tartarorum rex Changius Cham: cùm 12. ſagittas uno faſce comprehenſas 12. filijs frangendas dedit.

Haithe-

Haithonus in lib. de Tartaris. Probarunt verò pluribus in orationibus Hiſtor. Cicero de injuriarum oblivione & ἀμνησίᾳ lib. 44. Dionis. Cyrus ad filios, Xenophontis lib. 8. Pæd. Cyri. Philippus Macedo ad Perſeum ac Demetrium filios, lib. 10. Livij. Cecilius Metellus ad M. Lepidum & M. Fulvium Cenſores. lib. 40. Livij. Micipſa ad Iugurtham in bello Iugurthino Saluſtij: Hermocrates ad civitates diſſidentes lib. 4. Thucydidis: Bretislaus Boëmiæ rex morti vicinus ad proceres, lib. 7. Dubravij: Alex. Leviſtonius ad regni Cancellarium Crichthonium lib. 11. Buchanani rerum Scoticarum. Vnde evertere officio, fœdere, ſanguine, amicitia, civitate ac patria junctos qui cupiunt, in id incumbunt, ut diſſidijs inter hos excitatis, mutuo à ſeſe avellant. Ita Soſis Syracuſanus à Dione populum abſtraxit. Plut. in Dione. Marius una janua principes civitatis, altera Saturninum admiſit: eosq; inter ſe commiſit. Idem in Mario. Refo quidam à Gotrico Danorum rege in Sueoniam, transfugæ ſub titulo miſſus eſt: ut ſeminatis inter Sueonum & Gothorum proceres odijs viam aperiret: qua in mutuam perniciem ac civilia bella provocati ſeipſos perderent. Ioan. Magnus lib. 17. Soltha Vngarus communis exitij occaſionem captans, ad Stephanum II. Vngarorum regem clam ſcripſit: Boëmos inermem eum cum ſuis ad colloquium venientem armis circumventuros ac capturos: contrà Boëmum ducem admonuit, ne

regem

regem inermis adiret: paratas enim esse insidias, & sagittariorum manum jam præmitti: atq; ita funesti prælij author extitit. Bonfinius lib. 6.

Sexta pœnæ ac castigationes etiam parvorum delictorum: quia maximè imperijs ac Rebuspub. pernicioſa intempestiva misericordia. Arist. Polit. 5. cap. 8. Thucydides lib. 3. Suppliciorum cogitatione efficitur: ut à sceleribus hominum animi abhorreant. Plato lib. 9. de legibus: aliud malum tollatur. 7. Polit. cap. 13. futurorum maleficiorum inhibitiones, læsorum consolationes fiant. Plutarchus de sera numinis vindicta: nemo improbè petulanterq; agere ausit. Demosthenes in Midiana oratione: paucorum supplicio omnes reliqui continuò castigentur. Iustinianus in Novel. constit. 30. Prohibetur etiam parva delicta ne noceant: quemadmodum familiari in re exigui etiam sæpe facti sumptus facultates exhaurire solent. Arist. Polit. 5. cap. 8. Obsint exempla: idem hîc quod in strage accidat, cùm ipse populus sese premit: nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat: primi sequentibus exitio sunt. Seneca de vita beata. Pluribus istud Historicis in orationibus probant: Cleon apud Thucydidem lib. 3. Cato apud Salustium Catilinaria in conjuratione, Spurius Posthumius apud Livium lib. 9. C. Cassius apud Tacitum lib. 14. Cicero in Verrinis, Catilinarijs, Philipp. 8. Demosthenes adversus Leptinem, Cononem, Midiam, Isocrates in Areopagitico & ad Nicoclem.

Itaq;

Itaq; felix tum Romana Reſpub. fuit, cùm Iunius Brutus duos adoleſcentes filios, proditionis convictos, virgis cæſos, ſecuri percuſſit. Livius lib. 2. Dionyſius lib. 4. Plutarchus in Bruto, Valerius Max. lib. 5. Plinius de viris illuſtribus cap. 10. Sabellicus lib. 3. Manlius Torquatus ſupplicio filium affecit: quòd Latino in bello contra imperium pugnaſſet. Livius lib. 8. Plutarchus in Fabio Max. Frontinus lib. 4. Valerius Max. li. 2. Plinius de viris illuſtribus cap. 28. Sabellicus lib. 3. & 6. Eadem in puniendo filio ſeveritate uſus A. Poſthumius Tubero eſt. Livius libro 4. Valer. Max. lib. 2. Auguſtus Cæſar Iulias filiã & neptem propter pudicitiam proſtitutam relegavit. Dion, Suetonius in Auguſto. Nec minus Spartana fortunata extitit, de qua Legatus quidam ad eam miſſus: ut leges ac inſtituta Reipub. illius obſervaret: domum ubi rediit, funem, gladium, inſtrumenta tormentorum alia in Senatu depoſuit, hæc inquiens, Spartanorum inſtituta, hæ leges ſunt. Plutarchus in Apophteg.

Septima Innovationis fuga eſt. Patricius lib. 6. de Repub. Tit. 6. Eſt enim audaciæ illa mater: ſuperſtitionis ſoror: levitatis filia, ut in Epiſtolis D. Bernhardus ſcribit. Ac licet grata ſit novitas: placeat hæc, quemadmodum in Muſica, ſic rebus alijs: tamen quæ utilitate juvare videtur, novitate perturbat: prudenter præcipitur: ut in morbis non ſunt tentanda nova remedia, ſi veteribus malis ſuccurri queat: ita non de novis cogitandum,

ſi vete-

si veteribus medicina aliqua Reipub. adhiberi incommodis posſit. Simanca de Repub. lib. 4. cap. 10. ex Augustini Epistola 118. sic statuitur: optimè cum ijs & extra periculum agi, qui præsentibus moribus ac legibus minus bonis utuntur, eodem Rempub. modo gubernant. Thucidides lib. 6. Inde Charondas legem tulit: ut si quis legem abrogare veterem, rogare novam vellet, collo in laqueum inserto id faceret: ut si illa non probaretur, eo ipso strangularetur. Diodorus Siculus lib. 12. Aristoteles enervare Rempub. legum institutorumq; abrogationem affirmat: legem de præmijs inventorum rerum novarum plausibilem quidem at periculosam esse ostendit Polit. 2. cap. 6.

Octava est integritas ac vigilantia principum & Magistratuum. Arist. Polit. 5. cap. 8. Seduli enim, vigilantes industrij tum hostibus, tum civibus terrori: grati bonis: & sibiipsis & Reipub. utiles sunt Plato 7. de legibus. Omnium officiorum laus, imò vita in diligentia consistit. Osorius lib. 4. de Regis instit. Neq; inferiorum ordinum culpæ ad ullos magis, quàm desides rectores referendæ sunt. Simanca lib. 5. de Repub. cap. 12. ex Leonis Magni Epistola 86. Hinc nec sibi, nec alijs consuluerunt: Ninyas & Sardanapalus Assyriorum reges: quorum ille summam regis felicitatem esse arbitratus est: vacuum à curis esse: muliebrem hic vitam duxit. Diodorus Sicul. lib. 2. Lucullus qui Callisheni liberto suo omnium rerum cura atq; administra-

tione

tione delegata, luxui ac voluptatibus operam dedit. Plutarchus in Lucullo. Tiberius Imp. qui biennio continuo post imperium commissum, porta pedem non extulit: defectionum plurimarum causa extitit. Suetonius in Tiberio. Honorius Imp. qui cùm audivisset Romam à Gothis captam, urbis nobilissimæ nihili interitum faciens de Gallina sua Romæ cognomine, prodita quæstus est. Zonaras. Wenceslaus Imp. qui, cùm aliquando de arcis cujusdam conflagratione nuncium accepisset, illud unicum quæsivit: num cella vinaria incendio superfuerit: affirmante nuncio, & nos, inquit, salvi sumus. Cromerus lib. 16. Laudantur contrà, suntq; bene de alijs meriti: Epaminondas Thebanus, qui cùm cives ludis ac compotationibus vacarent, solus arma induit, muros ascendit: sobrium sese esse ac vigilare dixit: quò alijs dormire, & poculis indulgere liceret. Plutarchus de principe indocto. Augustus, qui jus assiduò ipse etiam in noctem interdum, idq; valetudine afflicta dixit. Suetonius in Augusto. Vespasianus, qui reprehensis à medicis, quòd malè habens, tamen imperatoria negotia tractaret, respondit: Imperatorem stantem mori oportet. Suetonius in Vespasiano. Sed non minus utilis ac necessaria Principum & gubernatorum integritas est. Et facti magni Romani sunt: domi industria: foris justo imperio: animo in consulendo libero, neq; delicto, neq; libidini obnoxio. Salustius in conjuratione Cat. Fuerunt felices Athe-

nienses hanc maximè ob causam: quòd Magistratus & officia publica non temerè quibusvis, sed prudentissimis, optimis vitaq; integritate maximè præstantibus commiserunt. Isocrates in Panathenaico. Nec possunt continere alios ij, seipsos qui non continent. Cicero pro lege Manilia. Nec solùm dum peccant magistratus ipsi corrumpuntur, sed etiam corrumpunt: plusq; exemplo, quàm peccato nocent. Idem 3. de legibus. Experti hoc sunt Ægyptij sub Amasi. Diodorus Siculus lib. 1. Romani sub Tarquinio Superbo, Tiberio, Caligula, Nerone, Vitellio, Heliogabalo, Galieno. De quibus, Impp. qui describunt sigillatim res gestas agunt. Sext. Tarquinio. Livius lib. 1. & 2. Dionys. lib. 4. Eutropius lib. 1. Plinius de viris illustribus cap. 8. Tiberio. Dion, Cornelius Tacitus Annalium 1. 2. 3. 4. 5. 6. Suetonius in Tiberio, Caligula, ijdem: ut & Nerone atq; Vitellio. Heliogabalo, Herodianus ac Lampridius. Galieno Trebellius Pollio.

Nona dissidiorum est, inter nobiles ac potentes exoriri quæ solent: &, nisi legibus severis & pœnis prohibeantur, aut coërceantur, factiones, seditiones, bella excitari intestina consueverunt. Arist. lib. 5. Polit. cap. 8. & in hunc Casus. Sunt argumento Constantinopolitana in urbe factiones: Veneta & Prasina, ubi quadraginta ferè hominum millia perierunt. Procopius lib. 1. belli Persici, Zonaras in Iustiniano. Guelforum & Gibellinorum in Italia. Iovius in Othonis vita. Apud Pistorienses Alborum

Alborum & Nigrorum. Blondus lib. 9. in Valachia Danorum & Draculorum Æneas Sylvius Europæ cap. 2. Atheniensi in Repub. Alomeonidarum & Calliarum. Herod. lib. 6. Romana Vrsinorum ac Columniorum. Iovius lib. 1. In Mediolanensi Viceconitum & Turrianorum. Idem in Othone.

Decima est conservatio familiarum. Neq; enim numero ac multitudine, sed bonitate civium Reipub. est felicitas æstimanda: nec illa judicanda beata, quæ ex promiscua hominum colluvie cives multos temerè colligit, sed quæ primas & antiquissimas familias maximè conservare studet. Isocrates in oratione de pace. Eoq; nomine Augustus laudatur: quòd, magnum existimans, syncerum atq; ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum, Romanam civitatem parcissimè dedit: Liviæ pro tributario quodam Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit: facilius sese affirmans passurum, fisco aliquid detrahi, quàm Romanæ civitatis honorem vulgari. Suetonius in Augusto. Claræ quoq; inter alia, Res sunt publicæ factæ, claras ac nobiles ob familias: Spartana, Agidarum & Proclidarum: Pausanias in Laconicis. Atheniensis Alcmæonidarum & Pisistratidarum. Idem in Atticis. Romana, Æmyliorum, Octaviorum. Plutarchus, Suetonius.

Vndecima est Census ratione bona atq; ἀναλογίᾳ proportione institutus. Habuerunt census suos Athenienses, uti Suidas notat, à Solone

introductos: habuerunt Romani, quos Servius Tullius Rom. Rex intulit. Livius lib. 1. Dionysius lib. 4. habuerunt Iudæi, Exodi cap. 30. Numerorum cap. 13. Etiam pœna incensi maxima apud Romanos fuit, siquidem, lege Servij, publicatis bonis, verberatus venibat. Dionysius lib. 4. Sigonius de antiquo jure civium Roman lib. 1. cap. 14. de Iure census. Gregorius Tholozanus lib. de Repub. 3. cap. 5. Proportione verò hic neglecta multa magnaq; in Repub. mala oriri solent. Etenim ad honores ac præmia civitatis quod attinet, si in oligarchijs & politijs censibus minoribus factis, privatorum æstimationes ad honores premendos non remittant, hîc Oligarchia, illic Dynastia oritur. Rursus, si censibus auctis æstimationes non intendant, ex politia Democratia, ex Oligarchia, politia aut Democratia nascitur. Aristot. Polit. 5. cap. 8.

Duodecima est συμμετρία, mediocritas & moderatio observata in divitijs, honoribus, amicitijs parandis. Hæc enim neglecta si fuerit, corrumpuntur civium animi: quandoquidem secundas & ad voluntatem fluentes res commodè ferre non cujusvis est. Quòd si factum hoc fuerit, non oportet ante collatos honores universos adimere: sed sensim ac paulatim hoc facere: aut impedire tales externis negotijs, aut alio modo peregrinari jussos è civitate summovere. Idem ibid. Vnde Respub. optima judicatur, quæ ex mediis civibus constat. Idem lib. 4. Polit. cap. 11. Ad tempus in exilium missi

missi sunt, qui opibus gratia, potentia aliàs maximè excelluerunt: inventus Athenis est Ostracismus. Plutarchus in Aristide, Nicia, Pericle, Themistocle. apud Syracusanos Petalismus locum invenit. Diodorus Siculus lib. 11. Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 20. Exilij causa multi sunt Romæ solum vertere coacti, aut ipsi ultrò verterunt. Theseus Athenienſi in Repub. Solon, Aristides, Themistocles, Pericles, Cimon. Plutarchus in vitis illorum, Probus Æmylius in vita Themistoclis ac Cimonis. Diodorus Siculus lib. 11. Spartana, Lycurgus, qui voluntarium in exilium abijt. Plutarchus in vita Lycurgi, Iustinus lib. 3. Pausanias, Plutarchus in Apophteg. Laconicis. Sabellicus lib. 2. Romana, Coriolanus. Livius lib. 2. Dionysius lib. 7. & 8. Plutarchus in Coriolano: Camillus Dictator, Livius lib. 5. Florus lib. 1. Plutarchus in Camillo, Volaterranus lib. 14. Plinius de viris Illustribus cap. 13. Valerius Max. lib. 5. cap. 3. Livius Salinator, Livius lib. 7. Valerius Max. lib. 2. cap. 4. Volaterranus lib. 16. Plinius de Viris Illustribus cap. 50. P. Scipio, P. Scipio Africanus, de quo Plutarchus in Scipione. Valerius Max. lib. 2. cap. 5. Frontinus lib. 4. cap. 7. Fulgosius lib. 6. cap. 4. Volaterranus lib. 19. cap. 3.

Decimateria est: constitutio ἀρχῆς, magistratus certi, qui morum inspector diligens, observet ἀσυμφόρως inutiliter Reipub. viventes. Arist. Polit. 5. cap. 8. Hinc Romæ Censores creati: sub

quorum potestate, disciplina Romana: regimen Senatus: Equitum centuriæ: decoris dedecorisq; discrimina fuerunt. Livius lib. 5. Blondus lib. 3. Festella cap. 17. Pomponius Lætus cap. 31. Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 13. & apud Athenienses: ζητηταὶ, inquisitores vitæ ac morum: νομοφύλακες, legum custodes: σωφρονισταὶ, juvenum moribus præfecti: thesmotæ moderationis vindices: γυναικονόμοι, animadversores mulierum parum modestarum. Plato in Axiocho, Pollux, Demosthenes in Midiam, Suidas, Athenæus, Plutarchus in Solone, Sigonius de Repub. Athenienſium lib. 4. cap. 3. Et apud Lacedæmonios Ephori: quibus ea fuit data potestas: ut quæcunq; vellent, etiam regem pœnis afficerent: in Magistratu constitutos intra tempus abrogarent. Xenophon de Spartanorum Repub. Plutarchus in Lycurgo. Et Venetos Advocatores: quorum censuræ leges inprimis observari præcipitur: ita quidem, ut si quid contra eas, vel tantillum ab aliquo attentatum aut admissum fuerit, ad Quadragintavirale consilium, aut Senatum referant. Egnatius lib. 2. cap. 4.

Decimaquarta est (quam maximam omni in Reipub. administrandæ forma Aristoteles esse affirmat) si non per leges ac instituta concedatur: ut è Repub. quæstum Magistratus faciant. lib. Polit. 5. cap. 8. Neq; enim turpe hoc solùm est, sed scelerosum etiam & nefarium. Cicero 2. officior. Nec firmi

sanctive

sanctive quicquam ab ijs expectandum: quorum studia & cogitationes ad avaritiam tantùm referuntur. Demosthenes adversus Aristocratem. Ideoq; rectè malorum omnium causa ab Imperatore Iustiniano constituitur: pecunias ab officijs conquirere. Novella constit. 8. Reprehenduntur à Plutarcho Stratocles & Dromeclidas, qui tribunal per jocum auream sunt messem appellare soliti. In libello de gerenda Repub. Pessimè Imperium Romanum sese tum habuit: cùm ad ejus gubernacula Tiberij, Vespasiani, Commodi, Iustini, Mauritij sederunt. Dion, Suetonius, P. Diaconus.

Postrema est Ærarij conservatio: quod, dum laborat tota Respub. laborat. Fit autem hoc: cùm aut pecuniæ conquirendæ modi ignorantur vel negliguntur: aut parum diligenter asservantur conquisitæ: aut rationes publicæ tam rerum, quàm officiorum rarò exiguntur. Aristoteles lib. Polit. 5. cap. 8. & in hunc Casus. Hinc Festus ut notat, tributorum apud Romanos tria genera, quibus ærarium impletum: unum in capita: alterum ex censu collatum: tertium temerarium & extra ordinem imperatum. Sigonius de antiquo jure civium Roman. lib. 1. cap. 16. Asservatum in Saturni æde. Iustin lib. 43. Quòd locus ille aditu omni perseptus, præruptus undiq; & ab accessu munitus esset. Plutarchus in vita Publicolæ. Macrobius li. 1. Saturnalium. Alex. ab Alexandro lib. 2. cap. 2. Athenienses Delphis thesauros suos omni tempore intactos habuerunt.

Diodorus Siculus lib. 11. Probus Æmylius in Aristide. Hebræi Thracę & Tauro Hierecuntis. Strabo lib 16. Babylonij reges in Zeugina urbe. Strabo lib. 11 Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 2. Estq; hìc semper cavendum: ne per ambitionem ac prodigalitatem exhaustum ærarium, per scelera suppleatur. Cornelius Tacitus lib. 2. Annal.

QVAESTIO VII.

DE MAGISTRATV.

An ille gerendus.

NOtatis breviter *Quæstionibus de Reipub. generibus, dignitate, causis, tùm corrumpentibus, tùm conservantibus, ad locum de Magistratu accedendum videtur: quod sine hoc Res esse publica nulla potest: uberrimam quoq; materiam: Quæstiones pulcherrimas suppeditat: in quibus Eloquentiæ qui dant operam, utiliter sese dicendo ac scribendo exercere: atq; ita Scholasticis atq; umbratilibus in μελέτης, ad ea, quæ seriò aliquando tractanda in Repub. præparare queunt. Gravissimæ enim sæpenumerò deliberationes atq; consultationes de Principatu, regno, magistratu instituuntur: utrum ille gerendus: an ad eum suscipiendum cogendus quis mulcta aut alia ratioue sit: num in eodem constituendo præstet sorte, an electione, an successione uti: emere ne magistratus ac honores liceat: sint nec ne ad magistratus & officia publica admitten-*

admittendi ultrò qui sese ingerunt, prænsant, ambiunt: num etiam fœminæ ad gubernacula admittendæ: utrum hæc ipsa rectiùs committantur senibus, an juvenibus: indigenis, an peregrinis: nobilibus & claris, an novis & obscuris: divitibus, an pauperibus: doctis an indoctis, etiam opificibus: an in magistratu legendo vitæ sanctimonia morumq; probitas requirenda: quæ hunc maximè virtutes ornent: dedecorent ac deforment vitia: quamobrem aptitudo & peritia rerum cumprimis spectanda: satiùs ne sit perpetuum, an amublatorium esse magistratum: conducat ne Reipub. uni alicui multa officia, plures magistratus imponi: utrum qui majores aliquando gesßit, minores oblatos suscipere debeat: num abdicare sese Magistratu ac imperio liceat: an officij sui rationes reddere teneatur: & ad hoc ipsum cogendus sit. Sunt deinde Demonstrativo in genere laudandi, qui ad honores, magistratus, regna, imperia, evehendi: celebrandi ex hominibus jam sublati: reprehendendi, qui aut impediendi, aut dejciendi. In judiciali denique genere Magistratuum locum non rarò accusationes, aut defensiones inveniunt: in quibus omnibus, quænam rationes adhibendæ, discendum, & discendum maturè erit.

Primò autem hîc sese quæ offert ac consideranda quæstio est: VTRVM MAGISTRATVS GERENDVS: OBLATVS RECIPIENDVS SIT. Vbi in negantem sententiam, & quòd,

NON GERENDVS, AVT oblatus suscipiendus Magistratus.

Rationes quibus probatur Magistratum non gerendū. Ratio 1. ab exemplis.

Rationes istæ: quia 1. Magni & clari Viri plurimi delatos honores Magistratus, oblata imperia respuerunt, aut diu saltem multumq; sese excusarunt. Gedeon, qui victoryjs insignis, Israelitarum imperium recusavit. Iudicum 8. Virginius Romanus, cujus extat Oratio ad milites apud Livium lib. 3. Xenophon, qui oblatum ab exercitu imperium admittere noluit: recusationis aliquot causas attulit, oratione ad eundem habita. Xenophon lib. 6. Germanicus, qui post Augusti obitum contra Tiberium Imperator eligeretur: neq; precibus ullis de sententia dimoveri milites animadverteret: gladium, tanquam sibi mortem vellet inferre distrinxit. Dion lib. 57. Vespasianus, qui bello Iudaico occupatus: strictis militum gladijs coactus Imperatorium nomen suscepit. Iosephus lib. 5. belli Iudaici. Gordianus senior qui eorundem minis ad idem recipiendum compulsus est. Lampridius, Iovianus, qui, cùm propter religionis diversitatem se excusaret: imperare sese nolle diceret infidelibus: cùm Christianus ipse esset: etiam se Christianos esse milites responderunt. Nicephorus lib. 3. Socrates lib. 3. Tacitus Imperator, qui ætatem grandem adducens, invitus ad Imperij pertractus habenas est. Flavius Vopiscus. Macrianus ex Trebellij Poll. 30. Tyrannis. Ladislaus, Vngariæ rex, qui ad capessendum imperium

rium multis precibus invitatus, annuere his noluit. Bonfinius lib. 4. Ludovicus, Thuringiæ Landgravius, qui Imperator electus hanc recipere dignitatem noluit: quòd literas sese nescire diceret: rem Imperio perneceſſariam. Fulgoſus lib. 4. Fridericus Saxoniæ Elector, qui poſt Maximiliani I. obitum oblatum imperium ingenti animo recuſavit. Sleidanus lib. 3. Auguſtus Cæſar, qui populo Romano Dictaturam offerente, nudo pectore deprecatus eſt. Suetonius in Auguſto. Q. Fabius, qui ultimum gerere conſulatum noluit: quòd nec temporis, nec animi idem qui ante vigor eſſet. Plutarchus in ejus vita, Pontanus lib. 2. de Magnanimitate. Ludovicus Vngariæ rex, qui à Caſimiro Magno rege Poloniæ, in regni ſocietatē ad optatus petentibus Polonorum legatis, & Vngariæ proceribus, ut regnum Polonicum ſuſciperet: neq; è Polonorum, neq; Vngarorum iſtud re fore dixit: ſicut nec duobus gregibus expediat, unum paſtorem habere. Satis & abundè negotij eſſe: uni populo præeſſe. Duas Reſpub. vix ulla ratione ſine alterutrius, ſive adeò utriusq; malo & incommodo ab uno adminiſtrari poſſe. Licet exorari poſt ab Oratoribus paſſus ſe fuerit. Cromerus lib. 13. Clodius Albinus, qui, cùm Commodi Imp. ab exercitu Cæſarianum ad ſe delatum eſſe nomen audiviſſet: Illud recuſavit: priſtinam illam Senatus dignitatem, ab Imperatoribus ereptam, reſtituendam eſſe oratione præclara oſtendit. Iulius Capitolinus in Clodio Albino.

Qua

Ratio 2. ab odio diaboli & excitatis ab eodem seditionib.

Quæ quidem exempla & Quæstionis hujus usum monstrant: & rationes in eadem adhibendas largiuntur. Quibus, quæ sequuntur addendæ: quod 2 Ordini huic maximè infestus, communis humani generis hostis diabolus est: contra Magistratum sæpe seditiosos cives excitat. Hinc contra Mosen & Aaronem Israëlitæ insurrexerunt: cùm apud Pharaonem pro illis intercederent. Exodi 5. Seditionem moverunt Chore, Dathan, & Abiron, quasi super Domini hi populum sese elevarent. Numerorum 26. Interempti à suis sunt Imperatores: Galba, Vitellius, Pertinax, Macrinus, Alexander, Gratianus: plures alij, etiam optimè Imperio qui præfuerunt ac Rebuspub. malam interim gratiam à suis retulerunt. Primus urbis Romæ conditor Romulus à primoribus interfectus, corporeq; minutissimas in partes dissecto, occultè sub vestibus per partes asportatus fuit. Dionysius Hal. lib. 2. Valerius Max lib. 5. Solon apud Athenienses in Cypro senectutem transegit: in vincula compactus Miltiades est: iniquis sunt præmijs dimissi: Cimon, Aristides, Demosthenes, Themistocles, Timotheus, Phocion, quorum in vitis Plutarchus meminit. Parum in Lycurgum grati Spartani fuerunt. Idem in Lycurgo. Causam apud Thebanos Epaminondas & Pelopidas dixerunt. Idem in vitis. Apud Romanos eadem sunt fortuna usi: Camilli, Scipiones, Servilij, &c. Apud Carthaginenses Xanthippus, Hannibal. Valer. Max. lib. 5. & 9. Vnde Scipio, volunta-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0080
DFG

voluntarium in exilium abiens Linterni reliquam ætatem egit: moriens ab uxore petijt, ne corpus suum Romam referretur: sepulchro suo inscribi curavit: ingrata patria ne ossa quidem mea habes. Livius lib. 8. Plutarchus in ejus vita. Valerius Max. lib. 5. cap. 3. Orosius lib. 4. cap. 10. Plinius de Viris Illustribus cap. 49. Et pater Themistoclis dehortari eum à Reipub. gubernatione volens apud mare projectas illi & neglectas triremes monstravit: eundemq; populi animum in Magistratus jam senes & inutiles factos esse ostendit. Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis. Ipse platino arbori similem sese esse dixit: ad quam cœlo pluvioso homines confugiunt: sereno verò eandem lapidib. ac fustibus petunt. Plut. in Problematibus. Aristoteles 3 Rhet.

III. Nihil quoq; difficilius est: quàm alijs bene præesse: opus magnum & arduum imperare. Plato in Epist. 7. Tacitus lib. 1. Inter omnia animalia homo maximè, & moribus varius, & voluntate diversus: in rectores suos magis, quàm pecus ullum in pastorem suum insurgit. Xenophon 1 de pædia Cyri, Vida lib. 1. de Reipub. dignitate, Patricius in proœmio de Regno, Simanca lib. 9. de Repub. cap. 1. Ratio 3. à difficultate.

Multæ IV. & magnæ molestiæ, sed frustra atq; inutiliter susciptuntur: quòd sæpè corruptior ac depravatior est Resp. quàm ut juvari melioriq; fieri queat. Vbi sapientis non est: in supervacuum niti: aut nihil profuturis impendere: si parum Ratio 4. à molestijs varijs.

authoritatis, aut virium habebit. Seneca ad Gallionem de beata vita. Vbi diligentia est plena simultatum: negligentia vituperationum: severitas perniciosa: liberalitas ingrata. Cicero in Oratione pro Flacco. Magnis licet honoribus colatur Magistratus: tamen multis malis & incommodis agitatur: gaudium furunculi instar habet: latente inflammatione micans: nec liberum & tranquillum spiritum ducit. Plato in Axiocho, Xenophon in Hierone. Multa horrenda aspectu videre: multa tangere: ex alienis miserijs molestias capere cogitur. Plutarchus in Probl.

Ratio 5. à damno & jactura rei familiaris.

Huc rei familiaris damnum ac incommodum accedit. Dum enim res curantur publicæ: domesticæ pejus curantur: nullum ex publico lucrum percipitur. Plato 1. Polit. Et qui multa agit: sæpe fortunæ sui potestatem facit, quam tutissimum est rarò experiri. Plutarchus in Demosthene. Simanca de Repub. lib. 2. cap. 9. & 10. Hinc Politici ac Magistratus plurimi pauperes. M. Curius, qui Legatis Samnitum aurum offerentibus: cùm ipse in foro rapas torreret, malo, inquit, hæc in fictilib. meis esse, aurum habentibus imperare. Florus lib. 1. cap. 18. Sabellicus lib. 8 Plinius de Viris Illustribus cap. 33. Aristides, qui justus est nominatus. Plutarchus in ejus vita. Epaminondas dux Thebanorum fortissimus: qui non nisi unicam vestem habuit: quæ cùm esset resarcienda, domi manere coactus fuit. Plutarchus in ejus vita. Lysander Spartanus, qui moriens

moriens, non tantum reliquit: ut dotem filiæ asse-querentur Vnde & dimittere eas mariti decre-verant: nisi retinere magistratus gravi pœna coëgis-set. Fulgosus lib. 4.

Nec minus judicia varia & querelæ hominum VI. terrent: quibus satis nunquam fieri potest Eu-ripides in Iphigenia. Malè audiunt semper qui præsunt, belli maximè tempore, propter adversos casus. Thucydides lib. 5. Idem Magistratus ex-periuntur quo apud Sophoclem de gregibus suis pastores conqueruntur: servimus his: domini licet simus: tamen & hos, taceant quamvis, audire co-gimur: &, quod de Samijs Pericles dixit: similes eos infantibus esse, qui pultem à matribus ac nu-tricibus capiunt: plorare interim non desinunt. Aristoteles Rhetoric. 3. Ac necesse est, quantumvis rectè imperetur, multos irasci: quòd non tam multi homines justi sunt, quàm qui injuriam facere vo-lunt, quorum cupiditates expleri non possunt. Boni autem partim multa magnaq; expetunt, quæ asse-qui nequeunt: partim cùm inferiores alijs habentur, ægrè molesteq; ferunt: eamq; ob rem culpam utriq; in Principes ac Magistratus conijciunt. Xiphilinus. Quin & vitia horum leviculà, libera à censura non sunt: quid illi agant: quemadmodum vivant inqui-ritur. Plato Epist. 4. Xenophon in Hierone. Neq; res tantùm publicæ administratæ, sed & singula verba notari: victus quoq;, joci, domus, ipsa familia, uxor, cubile curiosius conquiri solet.

Ratio 6. à querelis ac judicijs hominum varijs.

Plutar-

Plutarchus in præceptis gerendæ Reipub. Quemadmodum in Cneo Pompejo reprehensum istud fuit: unico digito caput quòd scalperet: vituperatum in Scipione, quòd somnum duceret longiùs: animadversum in Cimone: quòd vinum biberet longius, poculis indulgeret. Idem ibid.

Ratio 7. ab Invidia cui obnoxius magistratus.

Sed & Invidia locum maximè hîc habet: neq; tam modesta ulla felicitas, aut virtus suis utilis, mitisve extitit, quàm hæc non vellicaris. Sabellicus lib. 7. Afficit autem & excruciat medullitus: nocet plurimùm. Ac tametsi Ostracismus apud Athenienses Democraticæ æqualitatis trutina extiterit: tamen & Invidiæ popularis simul telum infestißimum fuit: fecit, ut præstantißimi viri post res feliciter gestas exulare fuerint coacti: Themistocles in Persida: Iphicrates in Thracia: Conon in Cypro: Thimotheus in Lesbo: Chabrias in Ægypto: Chares in Sigæo. Athenæus lib. 12. Ita Thebani Epaminondæ Leuctrica victoria clari, gloriæ invidentes, eum privatum inter ordinarios milites coëgerunt. Pausanias in Bœoticis. P. Scipio Africanus, & L. Scipio Asiaticus ob interversam prædam Asiaticam à Tribunis accusati, & invidia magis, quàm argumentis oppressi sunt. Livius lib. 8. & 9. Plinius de Viris Illustribus cap. 49. & 53. Plutarchus in vita Africani, Valerius. Max. lib. 4. Sabellicus lib. 7. Belisarius, qui omnibus dignitatibus ac facultatibus exutus à Iustiniano Imperatore apud quem summa in authoritate & gratia ante fuerat,

fuerat, stipem ostiatim colligendo sustentare sese necesse habuit: ubi date, inquit, Belisario eleemosynam: quem virtus extulit: invidia & ingratitudo dejecit. Procopius, Crinitus lib. 9. Volaterranus lib. 23. Egnatius lib. 5. Et hæc in negantem sententiam rationes afferri possunt: in affirmantem contrà, & quòd.

GERENDVS ATQVE SVscipiendus Magistratus.

Rationes quibus probatur esse gerendum Magistratum.

Valent quæ sequuntur: quòd I. DEVS ipse Magistratum instituit: ut sit vindex in iram ei malè qui agit: neq; potestas ulla, nisi à Deo est. Rom. 13 cap. Idem, cùm certis officijs destinare aliquos vult, hos donis diversis ornat: quorundam in pectus nurum infundit, qui gerere Magistratus debent. Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis, ex Platone. Et ut in Apicularum rege naturale quid reperitur ad gubernandum accommodatum: ardet maculis auro squalentibus: major paulò & longior est, quàm reliquæ apes: cruribus rectioribus utitur: spiculo caret: quàm diu vivit, colitur & observatur: aliorum labores circumit exhortanti similis: ut in Georgicis Virgilius notat: scribit Columella libro 9. cap. 10. Ita Politicus authoritate à Deo munitur: nec deserere Rempub. debet. Idem ibid.

Ratio 1. ab institutione divina.

II. Neq; mas, neq; fœmina sine imperio ac disciplina agere quicquam debent. Plato de legibus 12. Ipsaq; natura Magistratum requirit: cum

Ratio 2. à naturæ conditione.

sine ordine constare nihil queat: necessariò alij priores, alij posteriores sint: & in omnibus, quæ in unum disponuntur, quiddam nascatur principis vicem gerens. In corporum universitate corpus cœleste reliqua moderetur: omnia animalia rationale animal regat: hominem ipsum divinior anima. Cælius antiquarum lectionum libro 13. capite. 29.

Ratio 3. à necessitate

III. *Accedit huc necessitas: siquidem corruit populus, ubi nullus gubernator. Proverb. 11. Sunt homines, sicut oves absq; pastore. Numerorum 27. Ac pisces maris, & reptilia ducem non habentia. Habacuc. 1. In diversa omnes distrahuntur, nemine existente qui commune bonum curet, & in medium consulat. Plato 1. de legibus. Vida lib. 2. de Reipublicæ dignitate. Simanca de Repub. lib. 5. cap. 1. & 2. Seditionum ac licentiæ procellis cuncta agitantur. Livius lib. 39. Leges etiam optimæ, non modò non prosunt ac videntur, verum plurimùm quoq; nocent Reipub. Plato 6. de legibus. Literæ enim sunt: scriptura constant: neq; opem ferre sua præsentia possunt: sed, ut firmæ ratæq; habeantur, Magistratus auxilium implorant. Demosthen. in Midiam. Imò sine imperio nec domus ulla, nec gens, nec hominum universum genus stare: nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Cicero 3. de legibus, Dion. lib. 41. Pontanus libro quarto de Obedientia. Testantur hoc ipsum non ἀναρχίας modò, verùm etiam Interregnorum incommoda. Romæ è vivis sublato*

sublato interregno, dissensiones ac seditiones plurimæ ortæ. Plutarchus in Numa. Alexandro mortuo, verum deprehensum fuit id, Demades quod dixit: exercitum ejus Cyclopi eruto simílem oculo esse: ipse, extremo in halitu interrogatus ab amicis, cuinam regnum relinqueret, Optimo respondit: quòd prævideret, ingens sibi funebrale certamen amicorum futurum. Diodorus lib. 18 Dissidentibus inter se Imperij Romani Electoribus de Imperatore, dum uovus eligeretur, qui tumultus, quot factiones, quæ bella sint exorta, exempla docent: Henrici IV. & Rudolphi, Sueviæ Ducis: Friderici II. & Thuringiæ atq; Hassiæ Landgravij: Friderici Pulchri, & Ludovici Bavari. Bodinus de Repub. lib. 6. cap. 5. Quanta Iudaico in populo fuerint scelera perpetrata tum, cùm legitimus rex ac magistratus nullus fuit: Spiritus Sanctus ostendit, quando in diebus illis non fuisse populum qui gubernaret affirmat, Iud 18. Est enim Magistratus vinculum hoc per quod Respub. hæret. Est spiritus ille vitalis quem tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura, nisi unus & præda: si imperij illa mens subtrahatur. Seneca lib. 1. de Clementia. Lipsius Polit 2. cap. 1.

Atq; hinc Magistratus confertur cum co- Rario 4. *ryphæo, qui sublato è choro, cantus parum* simili. *conveniens est: & Duce, quo absente, acies sine ordine procedit: & Nauclero, quo privata navis fluctibus obruitur: & pastore, quo ex*

oculis remoto, grex dispergitur ac lupo præda fit. Aristoteles Polit. 3. cap. 4. & in hunc Casus. & anima in corpore: sole in cœlo. Idem lib. 4. cap. 15. Et oculo: quo obscurato reliquæ partes minimè vident: & patre, qui cives tanquam liberos diligit ijsq; necessaria suppeditat: & Medico, qui diligenter morbos quærit: mala civitatis sapienter curat. Idem Polit. 3. cap. 4. 5. & 12. In eundem Casus. Et deniq; vitibus ac arboribus simul umbram ac fructum præbentibus. Ezechielis 31.

Ratio 5. à commodis privatis.

Sed & privatim Magistratus prodest. Illiberalis enim ac sordidi est sibi tantùm vivere: nihil turpius quàm hospitium præbentem Rempub. deserere. Plutarchus in præceptis gerendæ Reipub. Neq; nostrûm quisquam sibi soli natus est: sed ortus nostri partem sibi patria vendicat, partem parentes, partem amici. Plato Epistola 9. Propterea quoq; hominem veteres φῶς appellarunt, quòd inclarescendi à natura ei amor est inditus. Plutarchus in libello: An rectè dictum: latenter vivendum. Turpe est ita vivere: ut nemo te vixisse sciat. Imò hoc quoq; perniciosum: quòd, in otio vita consumpta, & animos & corpora perdit: ac, sicut aquæ sub umbra latentes, non fluentes, putrescunt: ita facultates in vita motuum expertes pereunt. Ibid. Magistratus deinde Virum ostendit: &, ut cognosci non potest: integrum nec ne vas sit: nisi liquor infusus fuerit: ita nec homo cognosci potest: nisi imperium ei creditum commissumq; fuerit. Plutarchus in

præceptis

præceptis Reipub. gerendæ. Consequitur præterea honorem Magistratus. Deorum dignus appellatione judicatur: imò non alio animo populus Rectorem suum intuetur, quàm si dij immortales potestatem visendi sui faciant. Psal. 81. Seneca 1. de Clemētia. Honor autem præmium amplissimum: divinum bonum. Plato lib. 1. de legibus: externorum bonorum maximum Arist. li. 4. Eth. cap. 7. laborem omnem dulcem facit. Plutarchus de Animi tranquillitate. præsidium firmissimum vitæ sine metu degendæ suppeditat. Cicero lib. 1. de finibus. Vltimò terræ subit: etiam morti ac funeri inseruit. Plutarchus in libello: an seni Respub. gerenda.

Ac licet ingratitudo, odium, invidia, seditiones, incommoda alia experiri interdum reges, principes, magistratus necesse habeant: tamen à Deo defenduntur. Vti Moses & Aaron contra lapidationem Num. 14. & contra Chore, Dathan, Abiron ijdem Numer. 16. & David rex contra Absolomum & Sebam 1. Regum 23. & 2. Reg. 18. Ad objectiones de ingratitudine, odio, invidia, seditionibus, incōmodis alijs allatas responsio.

Suspicionibus quoq;, querelis, reprehensionibus subditorum facilè occurri potest: nec deserenda propterea Respub. Si quis primò ad suspiciones parum commodas conniveat: inimicitias ac dissensiones veras relinquat: susq; deq; ferat, sive malè, sive bene audiat: cogitet de eo quod Onomademus Chiorum princeps dixit: metuere sese, ne, si inimici nulli essent in urbe, contendere cum amicis inciperent. Plutarchus in præceptis Reipub. Subditorum suspicionib. querelis, reprehensionibus quibus modis occurrēdum.

gerendæ. Deinde, si populus aliquid habet suspectum, quod revera bonum ac utile Reipub. non cum omnibus tauquam ex composito, sed facta quadam separatione ac sejunctione cum paucis agat: instituti rationes exponat placidè: operam det, ut quasi convicti sua à sententia discedant: quemadmodum Romæ Trib. pleb. Senatus restitit. Idem ibid. Tum etiam istud consideret, querelis, reprehensionibus, convicijs effici: ut quis usquequaq; cautus sibiq; attentus vivat: & neq; vel dicat, vel agat quicquam temerè, aut inconsideratè, sed vitam tanquam in exacta victus ratione, sine reprehensione conservet. Plutarchus in libro de utilitate ex inimicis capienda.

Invidiæ ut occurrendum.

Invidiæ porrò ut occurrendum Cicero docet: ut ostendatur primò, illa: quæ hunc excitarunt, multis magnisq; parta laboribus ac periculis esse. Deinde, quemadmodum efficiens horum causa honesta, ita laudabilem finem usumq; existere: ad salutem ea, non privatam, sed publicam adhiberi. Tum, quoad quantitatem, neutiquam magna, aut metuenda, verùm mediocria esse. Tandem qualitas eorundem si spectetur, honesta, utilia, necessaria lib. 2. de Oratore. Neq; hanc ad rem istud quod parum facere videtur: quòd, ut Poëta ait: tantum

Pascitur in vivis livor: post fata quiescit:
Tum suus ex merito quemq; tuetur honos.

Multi odio vivi habentur: desiderantur ex hominibus sublati.

QVAE-

QVAESTIO VIII.

VTRVM MVLCTIS AC pœnis quis adigendus, aut alia cogendus ratione sit: Magistratum ut gerat:

QVemadmodum viri prudentes ac cordati diu multumq; secum ipsum deliberare solent: gerere nec ne Magistratum: aliis præesse: commodare patriæ debeant: ita in controversiam ac quæstionem istud venit: VTRVM, QVI OBLATVM RESPVIT AC RECVSAT MAGISTRATVM, HVNC VT RECIPIAT COGENDVS SIT. Et quidem quòd.

AD MAGISTRATVM GErendum invitus nemo compellendus.

Rationes quibus ostenditur, ad Magistratum gerendum cogendum neminem esse.

Exempla primùm docent eorum, qui delatos honores: oblata regna, Dinarchias Magistratum deprecatione aliisq; modis à se removerunt. T. Manlius Torquatus, renunciatus Consul, excusata oculorum valetudine, Centuriã illam, quæ suffragium tulerat, revocari jußit: peßimum ac periculoßimum seße exemplum dixit introducturum: si oculis alienis Rempub. administrandam ſuſciperet: hortatus est, alium magis idoneum ut eligerent. Cum verò cuncti instarent, alium, inquit, quærite, Quirites, ad quem honorem hunc transferatis. Nam si me gerere eum coègeritis, nec ego mores

Ratio 1 ab exemplis.

vestros ferre: nec vos meum perpeti imperium poteritis. Itaq; suffragio denuò initio Consules electi alij fuerunt. Livius lib. 6. Plinius de Viris Illustribus cap. 28. Valerius Max. lib. 6. cap. 4. L. Quintus Cincinnatus, qui à Patribus impetravit: ne Consulatus sibi continuaretur. Livius lib. 3. Dionysius lib. 10. Valerius Max. lib. 4. cap. 1. Florus lib. 1. Germanicus, qui Imperator à militibus salutatus, excusando, imò gladium distringendo & αὐτοχειρίαν minitando liberatus est. Dion ac Suetonius in Tiberio. Belisarius, qui regnum Italicum à Gothis invito sibi imponi noluit. Egnatius lib. 4. Servile deinde ac illiberale videtur, cogi aliquem ad Magistratum gerendum: qui, si bonus extiterit: patriæ amans ultrò ei inservire cupit: sin malus, ne petendum quidem ab illo Reipub. ad gubernacula ut sedeat. Tum neq; quisquam benè ac diu istud facit, invitus ac coactus quod facit. Rursus.

Ratio 2. à turpi.

Ratio 3. à damno & incõmodo

AD MAGISTRATVM GERENDUM ETIAM INVITUS COMPELLENDUS.

Rationes in contrariam & affirmantem sententiã.

Ratio 1. à consequentibus malis.

Ratio 2. à bonorũ ac prudentũ natura & cõditione.

Quòd I. si boni ac prudentes oblatos sibi honores ac Magistratus non admittant, eosdem pravi & stolidi consequantur. Plato Epist. 9. Bonorum deinde ac prudentum ea natura & conditio: quòd quiescere atq; obedire, quàm imperare alijs malunt; nec honorum cupidine flagrant. Plato lib. 1. de Repub. Simanca de Repub. lib. 2. cap. 8. Et, ut natura

tura jubente, pars una potius discrimen subire cogitur, quàm totum pereat: ita Iustitia flagitat: ut boni etiam, periculosum potius Magistratum gerant, quàm damnum aliquod Respub. sentiat. Aristoteles Politicorum 2. cap. 7. Et in hunc Casus. Si quoq; navis instar Respub. æstimanda, quæ omnium opus manibus officioq; habet: ideoq; in id incumbendum: non modò ne evertatur, sed ut in portum tutissimum sese recipiat: omnium ac singulorum eò consilia, opes, actiones dirigendæ: ut Respub. non servetur solùm: verùm etiam indies feliciter augeatur. Patricius de Reipublicæ institutione libro 5. Ideoq; & leges hac de re diligenter agunt. Si quis magistratus in municipio creatus munere injuncto fungi decrectet; per præsides munus agnoscere cogendus est remedijs: qnibus tutores quoq; solent cogi ad munus quod injunctum est agnoscendum. Digest. lib. 50. Tit. 4. de muneribus & honoribus. Nisi vacatio concessa excusatio talis quæ æquitate vitatur: ut ætatis, imbecillitate corporis, professionis, egestatis. Ibid. Tit. 5. de vacatione & excusatione munerum. & Codicis lib. 10. Titul. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. in quibus de excusationibus munerum, de quibus muneribus nemini liceat se excusare, de ijs qui ætate, vel professione se excusant, vel morbo, vel numero liberorum, vel alijs modis agitur. Quin & bene constitutæ Respub. multare eos sunt solitæ, qui magistratus & officia publica recusarunt: Athenienſis capite: Romana

Ratio 3. à necessitate.

Ratio 4. à legum authoritate.

Ratio 5. ab exemplis ac pœnis magistratũ

officiaq; publica recusantiũ.

Romana libertate: Sparta patria Et Sophænetus, quòd dux declaratus, munus recusasset, 10. multatus minis est. Xenophon de Cyri minoris expeditione libro 5.

QVAESTIO IX.

VTRVM ETIAM PARVIS, levibus, contemptis rebus ac negotijs Magistratus & Inspectores constituendi, &, si talia oblata fuerint officia, obeunda?

Vsus Quæstionis.

VT *superioris Quæstionis usus magnus, cùm Magistratus deferendi, delati admittendi aut recusandi sunt: ita & hujus haud exigua utilitas est: cùm non magni momenti negotia ac officia committuntur. Vbi in negantem sententiam & quòd,*

OFFICIA AC MVNERA parua non obeunda.

Rationes in negantẽ sententiã.

Ratio 1 ab honesto ac laudabili.

Ratio 2. à simili.

Ratio 3 à turpi.

Valent ista: quòd ad magna illico adhiberi, ad nomen parandum, conciliandam authoritatem plurimùm facit. Deinde, uti in re familiari videmus minutula officia famulis committi: honestiora patremfamilias sibi reservare: & in navi, non eadem esse officia remigum & gubernatorum: ita non convenit: ingenijs magnis ac erectis munus: vile levia mandare: neq; his eadem oblata si fuerint, suscipere. Tum & ad contemptum non modò personarum: verùm etiam Rerumpub. pertinere videtur

videtur: quando parvis ac levibus negotijs Magistratus & inspectores constituuntur. Contra, quòd.

OFFICIA AC MVNERA parva non contemnenda.

Illa probant: quia studium multitudinis, & illorum, penes quos eligendi est potestas, minimè improbandum. Deinde, cùm in Magistratu moderatio maximè commendetur; hujus argumentum ac signum magnum est, cùm quis etiam ad inferiores Magistratus sese demittit. Tum & publica istud utilitas flagitat. Siquidem Reipub. prodest: ut minoribus quoq; officijs, quæ contemni solent, aliquid dignitatis ac splendoris ab ijs adijciatur, qui illa suscipiunt: siquidem etiam à Viris Magistratus ornatur.

In affirmantem sententiam argumenta.
I. A studio multitudinis.
II à moderationis indicio.
III. à publica utilitate.

Est præterea utrumq; necessarium: ut nec contemptui sese Politicus exponat ambiendo magna officia: nec odium in se excitet, petenti Reipub. operam suam denegando. Sunt etiam multa, quæ si quis ipse aut per se agat ac tractet, abjectus idem ac sordidus videri queat: liberalis contra & nobilis, si civitati exhibeat ac præstet. Plutarchus in præceptis gerendæ Reipub.

IV. à necessitate.
V. à fine.

Vnde Cato nullam delati officij partem recusandam esse censuit: modò authoritati & gratiæ parandæ prodesset. Et Epaminondas Thebanus, cum contemptu quodam ac invidia Telearchum eum cives elegissent (cujus officium erat curare: ut

VI. ab exemplis.

sordes

sordes ex angiportis ejicerentur: rectè derivarentur aquæ: plateæ essent mundæ: sternerentur viæ) munus hoc in sese recepit: addita facti sui ratione: quòd non solùm Magistratus Virum: sed etiam Vir Magistratum ostendat. Idem ibid. Huc accedit,

VII. à Reipub. conditione ac dignitate.

quòd nihil abjectum judicandum quod in Repub. geritur: nisi malis fortè moribus vitiatum fuerit. Simanca lib. 2. de Republ. cap. 8. ex Cassiodoro lib. 6. variarum. Neq; ulla Reipub. pars tam est vilis ac contempta, quæ inspectionem ac procurationem non requirat. Plutarchus in præceptis Reipub. gerendæ.

VIII. à varijs officijs ac muneribus diversarũ nationum & Reipubl.

Neq; verò Lacedemonij suos habuerunt tantùm ἀγμοσὰς: Thessali Archos. Dionysius libro 5. Alexander ab Alexandro libro 4. capite 23. Pœni Suffetem. Livius lib. 3. & 4. Ægyptij Diœcetes. Cicero pro C. Rabirio Posthumo. Persæ Megistanas. Ammianus Marcellinus, & Suetonius in Caligula. Achæi Demiurgos. Livius libro 4. Thebani Archinos. Æmylius in Pelopida. Longobardi Exarchos. Volaterranus libro 4. Geographiæ: alij alios majores Magistratus, quorum meminit Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 23. verùm ijsdem & minores fuerunt. Nec apud Romanos solùm extiterunt, Consules, Prætores, atq; extra ordinem Dictatores dicti, Censores &c. de quorum imperio agit Sigonius lib. 3. de antiquo jure Provinciarum cap. 8. 9. 10. & Feneſtella: sed & succrescentibus negotijs alijs, minores magi-

stratus

stratus multi creati: ut Triumviri nocturni, Monetales, Agrarij Capitales. Idem lib. 1. cap. 20. Et Athenienſi in Repub. reperti ſunt, Phylarchi, Phratriarchi, Demarchi, Prytanes, Proëdri, Epiſtatæ, Archontes, Polemarchi, Theſmothetæ: de quibus legendi ſunt: Demoſthenes in Theocrinem, Midiam, Eubulydem, Polyclem, Leptinem, Neæram, pro Cteſiphonte, Pluturch. in Solone, Xenophon de Athenienſium Repub. Iſocrates contra Lochitam, Pollux, Sigonius lib. 4. de Repub. Athenienſium cap. 2. & 3. Interim & reperti ſunt: qui navalia curarunt: qui de verberibus ac vi quæſiverunt: qui Agaronomi negotiationibus & nundinationibus præfuerunt: id curarunt, ne in emendo ac vendendo mendacij locus aliquis eſſet: qui Metronomi viderunt: ut menſuræ juſtæ eſſent: nemo his deciperetur: qui Sitophylaces in eo occupati fuerunt: ut frumentum, farinæ, panes pretio æquo venderentur: qui Emporij curatores id ſpectarunt: ut frumenti, quod in Atticum Emporium adveheretur, partes duæ in Vrbem à mercatoribus deferrentur: qui nautarum ac mercatorum ſibi commendatas lites habuerunt: qui vendita à civitate adminiſtrarunt: qui pecunias, quæ mulctæ nomine pendebantur, acceperunt: qui ζητητὰ, pecunias publicas retentas acerbè exegerunt: qui Sitonæ, externum frumentum Reipub. nomine mercati ſunt, & recondiderunt: qui Aſtynomi, id negotij habuerunt: ut cum decoro ornatu ædificia, tam

publica

publica, quàm privata ut & viæ conservarentur: in his collapsa reficerentur: limites communes sine controversia tenerentur: aquæ in fontes abundè ac purè euntes civitatem simul & ornarent & juvarent: qui ad muros veteres reficiendos τειχοποιοὶ fuerunt adhibitî: qui præpositi sunt legibus, νομοφύλακες, & juvenum moribus σωφρονισταὶ, & γυναικηρέσμοι malierum modestiæ, & virorum sumptibus ac convivijs, οἰνόπται: qui rationes popoſcerunt magistratuum & curationum, Logistæ. Sigonius de Repub. Athenienſium lib. 4. cap. 3. ex Demosthene contra Evergum, ad Pantaenetum, in Timocratem, Leptinem, Phormionem, Theocrinem, Eubulidem, Aristogitonem, Neæram, Leocharem. Ex Æschine in Timarchum, & Ctesiphontem: Isocrate in Trapezitiba: Plutarcho in Lycurgo, Solone, Themistocle, Pericle: Polluce præterea, Arpocratione, Suida. Neq; sacra si considerentur, apud populum Iudaicum, locum saltem invenerunt: Pontifices, Sacerdotes, Levitæ: sed etiam usus idem fuit cantoribus, janitoribus, Nathinæis: de quibus præter sacras literas, Iosephus lib. 8. & 20. ac Philo de Sacerdotum præmijs agunt: ut & Sigonius de Hebræorum Repub. lib. 5. à Capite 1. usq; ad 8.

QVAE-

QVAESTIO X.

VTRVM MELIVS SIT subitò inclarescere, pervenire ad honores, dignitates, Magistratus magnos: an sensim ac gradatim: & quibus in his modis atq; rationibus utendum?

Conjuncta Quæstio hæc cum superiori proximæ est: in dubium illud venit: quòd erecta vereq; liberalia exercere ingenia solet: num melius sit: illicò, an tardè & quasi per gradus ad honores, Magistratus, imperia conscendere: ac quæ hîc viæ & rationes observandæ. Neq; utramq; in partem argumenta desunt. Et quidem quòd sit:

MELIVS SVBITO EMERgere: ad magnos pervenire honores: consequi Magistratus: imperia adipisci.

Argumenta pro ratione subitò emergendi atq; inclarescēdi splendidè I. à Pindari testimonio.

Illa: quòd, de Pindari sententia, operum primordia & initia sic instituenda, ut splendentia ac fulgentia sint, sed non uno in locò, verùm pluribus. Plato lib. 6. de legibus, Aristoteles Politicorum 5. Rhet. 1. Plutarchus in præceptis Reipub. gerendæ. Deinde vulgi hæc natura ac consuetudo est: usitata, communia, vulgaria contemnit: probat nova, inusitata, splendida. Vnde etiam fit: ut sæpè peregrini indigenis præferantur: licet hi multis, quod ajunt, parasangis eos superent.

II. à vulgi natura & consuetudine.

Plutar-

III. ab Invidiæ declinatione ac fuga.

Plutarchus ibidem. Tum etiam ab Invidia magis immunis liberaq́, inclarescendi hæc ratio est; quæ ingens virtutnm tormentum, &, ut veterum quidam dixit, jumentum diaboli: nulla verò ratione meliori declinari potest: quàm actionum initio splendido, illustri, celebri: quòd, ut ignis, si subitò ac celerior effulgeat, fumum non gignit: eundem excitat, cùm paulatim & tardè exoritur: ita subita gloria ex legatione, aut re simili parta invidiam non parit: sunt huic subjecti, qui paulatim, sensim, gradatim emergunt. Idem ibidem.

IV. ab exemplis eorum qui subitò inclaruerũt.

Sic Aratus Sicyonius Reipub. gerendæ splendidum initium habuit, eversionem scilicet tyrannidis Nicoclis. Plutarchus in Arato. Et Alcibiades, qui juvenis adhuc clarus est factus, cùm contra Lacedæmonios bellum excitavit. Thucydides lib. 5. Plutarchus in Nicia. Et Cn. Pompejus qui, cùm ob res gestas triumphum peteret, hic verò propter leges & ætatem ei denegaretur, maximè à Sylla, cogitare illum jussit, plures solem orientem, quàm occidentem adorare: etiam alia obtinuit à populo præter leges & morem Romanorum. Livius lib. 39. 85. 109. Plutarchus in Pompejo, Appianus lib. 1. belli civilis. Eutropius lib. 6. Florus lib. 3. Volaterranus lib. 18. Plinius de Viris Illustribus cap. 77. Et P. Cornelius Scipio, qui, cùm per ætatem Romæ Consulatum petere non liceret, ædilitatem petens, Consul est à populo Romano designatus propter res præclarè in Hispania administratas. Plutarchus in Scipione,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0100
DFG

Scipione, Polybius lib. 5. Orosius lib. 4. Florus lib. 2. Volaterranus lib. 19. Plinius de Viris Illustribus cap. 49.

Et hi quidem omnes fortitudine sua & rebus militaribus clari sunt facti: quemadmodum Iulius Cæsar, victoriis plurimis claruit. Plutarchus in Cæsare, Dion, Suetonius. Et Augustus, qui adolescens adhuc multis ac potentibus hostibus sese opposuit eosdemq; vicit. Dion libro quadragesimoquinto & in sequentibus. Suetonius. Cicero in Philip. 3. 5. Alexander Magnus, qui ante ætatis annum 33. totum ferè terrarum orbem armis sibi subjecit: continuo victoriarum cursu ad Hypanim usq; pervenit. Curtius, Arrianus, Plutarchus in Alexandro. Sed sunt etiam aliæ viæ ac rationes, quibus subitò quis inclarescere, & ad honores, dignitates, Magistratus pervenire, illustre comparare nomen potest, etiam tranquillis ac pacatis temporibus.

Rationes inclarescẽdi subitò, pacatis ac tranquillis tẽporibus.

Prima est judicium magnum rectè administratum: quod ingenium requirit ac prudentiam; experientiam diuturnam: amorem & studium boni, non privati, sed publici. Arist. Polit. 4. cap. 16. Plutarchus in præceptis gerendæ Reipub. Cicero 3. Off. & in Oratione pro Cluentio. Demosthenes contra Midiam, Theocrinem, Calippum. Ita magnum ac celebre nomen Salomoni regi etiamnum adolescenti peperit, judicium de infante altero vivo, mortuo altero latum. 2. Regum 3. Areopagiticum

1. Iudiciũ magnum rectè administratum.

apud Athenienses nobile judicium extitit: quo nihil constantius, nihil severius, nihil fortius fuisse Cicero lib. 1. ad Atticum scribit: proverbium de severis ἀρειοπαγίτης testatur. Magnam Romæ laudem adeptus L. Cassius est, quem Quæsitorem ac Iudicem fugiebant ij, quibus periculum creabatur: populus Romanus verissimum & sapientissimum judicem putabat. Cicero pro S. Roscio.

II. Legatio magna.

Altera Legatio, verùm magna. Vbi requiritur, ut qui legatum agit, sit vir primò ἀλέπυς quasi igneus, hoc est: acer, strenuus, industrius, integer etiam & candidus. Secundò animosus ac confidens, non timidus & meticulosus. Tertiò habeat mentem, valeat ingenio: sit instructus prudentia ac consilio & quidem subitò. Postremò sit eloquens: non aliorum in dicendo uti opera cogatur. Plutarchus ibid. Hoc nomine Ser. Sulpicius celebratus: dignus statua judicatus à Cicerone est Philipp. 9. Laudatus Crates Philosophus, qui ab Atheniensibus legatus ad Demetrium Poliorcetem missus, obsidionis solutionem ab eo impetravit. Plutarchus in Demetrio. Agis commendatus Spartanus, qui ad Philippum regem legatus missus, solus sine comitatu regem accessit: cumq; rex admiratus hoc esset, veni, inquit, unus ad unum: legatorum aliorum tacitè sumptus perstringens. Idem in Apophtheg. Laconicis. Clarus est factus Anaximenes, qui, cum missus ad Alexandrum Magnum esset Lampsacenis vehementer iratum, ut eum placaret,

In legato quæ requirantur.

caret: ille verò eo viso, jurejurando affirmaret, nihil eorum, quæ Anaximenes, quamvis præceptor peteret, se concessurum, prudenter ac ex tempore, hoc ergo, inquit à te peto rex, ut Anaximenis præceptoris tui patriam funditus evertas: eoq; dicto effecit, ut vel invitus Alexander Lampsacenis parceret. Pausanias lib. 6. M. Popilius Lænas, qui ad Antiochum Epiphanem legatus à Romanis ablegatus, celebre inde nomen reportavit, quòd animo magno infractoq; regem cunctantem responsumq; differentem, virga circumscripsit: ne ultra spacium illud differendo exiret: eoq; Antiochum adegit, ut bellum contra Ptolomæum regem, populi Romani amicum susceptum omitteret. Livius lib. 45. Illustres verò Eloquentia reddit legatos: Cineam, qui, teste Pyrrho, plures Oratione sua, quam rex armis, urbes subegit. Plutarchus in Pyrrho. Scopelianum, qui à Domitiano Imp. legatus missus, dicendi facultate singulari, quod petijt impetravit. Philostratus. Eustathium, qui ejusdem ob vim, Sapori Persarum regi in legatione gratissimus extitit. Eutropius.

Tertia via ac ratio est: Restitutio & renovatio eorum, quæ præclarè quidem prudenterq; in Repub. constituta: post verò in desuetudinem venerunt, & neglecta sunt: ut & emendatio ac correctio illorum, quæ cum damno atq; dedecore introducta in Rempub. fuerunt. Vtrumq; enim magnum laudeq; dignum: & ab interitu ac contemptu vindicare, quæ semel lata atq; instituta in Republica

III. Restitutio ac renovatio bene constituto rum, sed neglectorum, in Repub.

prudenter acutiliter fuerunt: & maturè occurrere nec locum ijs in eadem concedere, quæ præter dedecus, etiam damnum dare magnum posse videntur. Quo nomine Cato ille Censorius clarus Romana in Repub. extitit. Plutarchus in ejus vita. Livius lib. 3. & 4. Volaterranus lib. 14. Et Avidius Cassius Imp. Vulcatius.

IV. Magni momenti causa rectè feliciterq; in judicio disceptata.

Quarta est Causa ac controversia magna rectè feliciterq; in judicio disceptata: defensio fidelis hominis miseri ac deserti. Vnde celebres Romæ facti, Iulius Cæsar, Cato uterq;, L. Lucullus, M. Tullius Cicero, Hortensius, Sulpitius: plurimi alij. Et commendatur hæc ratio lib. 2. Officiorum, & Quintiliano lib. Instit. Oratoriarum 12. cap. 7. quòd crediti sint ita clari juvenes obsidem Reipub. dare malorum civium accusationem: quia nec odisse improbos, nec simultates provocare, nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur: &, ut catuli generosi si feris, ita hi malis infesti. Plutarchus in Lucullo.

V. Dicendi libertas.

Quinta est παῤῥησία, dicendi libertas, aperta atq; ingenua defensio Iustitiæ adversus potentes. Vnde Romæ L. Philippus, Athenis Phocion celebritatem sunt nominis adepti. Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis. Verùm periculosum interdum hoc esse ostendit: Callisthenes apud Alexandrum: Telesborus apud Lysimachum regem: Antiphon apud Dionysium Siciliæ Tyrannum. Itaq; cautè hic ac prudenter agendum, ne pro autoritate & claritate nominis παῤῥησία dicendi libertate quæsita,

Quomodo cautè ac prudenter dicendi libertas.

odium

odium atq; exitium nobis creemus: maximè apud eos, qui frenum, quod ajunt, in cornu ferunt: longas manus habent. Qua de re Plutarchus in libello de amici & adulatoris discrimine agit: ubi non paucos docet opinari tum sese liberè dicere, cùm convician-tur: & alieno tempore uti παῤῥησίᾳ, atq; ita homines adulatoribus obijcere. Iubet deinde libertatem lenitate temperare: nimiam copiam removere: ut & levitatem, contumelias, risum, scurrilitatem, ostentationem, captationem popularis applausus: observare decorum mediocritate. Modos præterea tradit mitigandæ libertatis dicendi: similium scilicet rerum vituperatione: alienæ personæ introductione: confessione ingenua eorundem in nobis delictorum: laudatione aliqua vel antè, vel post, posita: culpæ translatione in alios: expositione utilitatis ac necessitatis παῤῥησίας: indicatione malorum quæ ex intempestivo silentio, aut adulatione oriuntur: separatione & exceptione: distinctione admonitionis atq; accusationis: præteritione, præcisione: promissione emendationis; voto ac optatione: deprecatione veniæ: θεσὶ, ut agatur θελικῶς & ἀοριστῶς, infinitè: nominetur nemo: ideoq; irasci nemo queat: nisi qui de se ante confiteri voluerit.

bertate utendum: hæc ipsa mitiganda: ne periculum creet.

Sexta vti ac ratio est susceptio inimicitiarum, cum non omnibus, sed ijs tantùm: qui primùm authoritatem ac dignitatem invidiosam, formidolo-

VI. Inimicitiarum susceptio.

ſam & terribilem habent: ſunt deinde improbi homines: cùm redegerunt ſuam in poteſtatem Rempub. non virtute ac fortitudine quadam, ſed vel dolo, vel audacia atq; temeritate. Facilè enim hîc populus mutatur: uno ab extremo ad alterum venit: dejecti in locum ſæpe deijcientem evehit. Hinc Athenis Phocion & Demoſthenes clari ſunt facti: quia Macedonicæ ſeſe potentiæ oppoſuerunt: animosè ijs reſtiterunt: qui hanc quovis modo invehere conati ſunt. Romæ inſignem nominis gloriam ſibi Cicero peperit: cùm inimicitias ſuſcepit contra Clodium, Piſonem, Vatinium, Agrarios, Catilinam, Antonium & alios. Plutarchus in Cicerone. Præmijs atq; honoribus amplis condecorati fuerunt tyrannos qui repreſſerunt: Thraſybulus, Dion, Timoleon, Aratus & alij.

VII. Neutralitas.

Septima eſt Neutralitas, ut ita loquamur: ut, cùm exortum eſt aliquod diſſidium, diverſas in partes diverſi abeunt: nulli harum ſeſe quis immiſceat: ſed medium ac communem omnibus præbeat: conſilia, dicta factaq; ſua ad pacem & concordiam in Repub. dirigat. Etſi enim medijs hiſce ac neutralibus idem ſæpe accidat, quod in medio habitantibus evenire ſolet, ut utrinq; ſcilicet premantur: victoris præda fiant: legem tulerit Solon: ut qui civili in diſcordia non in alterutra ſeſe parte adiunxerit, ſed ſolitarius ſeparatusq; à communi malo civitatis ſeceſſerit, domo, patria fortunisq; omnibus careret, exul extorrisq; eſſet. Plutarchus in

Solone

Solone, Gellius lib. 11. cap. 12. Lipsius Politicorum lib. 5. cap. 6. Gregorius Tholozanus lib. de Repub. 22. cap. 4. nec rationes hîc deesse videantur: tamen nihil virum bonum ac sapientem magis decet: quàm à civilibus sese dissidijs subtrahere: nec pax & concordia constitui ulla potest, nisi medij aliqui sint, qui dissidentes inter se partes componant: non etiam istud rarò accidit; ut, quod in fabulis lupus ait, homines aliud loquantur, aliud sentiant: tertium quærant aliquem, quem opprimant. Qua de causa laudatus Atticus fuit: qui æquè periculosum esse statuit: civilibus sese fluctibus atq; maritimis committere: ideoq; civili in bello neutri se parti adjunxit, sed quievit. Nepos in vita Attici, Lipsius, ut suprà. Et Pollio, qui ad bellum Actiacum proficisci noluit, licet à Cæsare rogaretur, ut hoc faceret. Vellejus Paterculus lib. 2. Vt verò hæ pro ijs rationes ac modi militant: qui subitò emergere atq; inclarescere cupiunt: ita non minus pugnant pro via contraria, qua sensim, pedetentim, & velut per gradus quosdam ad honores, dignitates, magistratus pervenire licet: quòdq; sit.

MELIVS PEDETENTIM, sensim, gradatim honores, Magistratus, imperia consequi.

Argumenta contraria pro ratione pedetentim ac gradatim

Probant: quòd primò, etsi illustrior ac splendidior

datim emergendi & inclarescendi.

I. a diuturnitate ac incolumitate.

didior ille modus sit: quo celeriter & subitò inclarescere licet: tamen cum periculo haud exiguo idem conjunctus: hic contrà ut obscurior & tardior, ita tutior ac diuturnior est. Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis. Siquidem, de proverbij sententia, subitò quod fit, etiam perire subitò solet. Et in parvis honoribus timor exiguus: in magnis tumor magnus: in illis lapsus insignis non reformidatur: in his metuitur: uti morbi acuti periculosiores, quàm lenti esse consueverunt. Aristoteles lib. 5.

II. à naturæ exẽplo.

Polit. cap. 8. & in hunc Casus. Neq; natura illicò perfectum quicquam producit: neq; alijs in rebus summa ante officia demandantur, quàm in inferioribus ac medijs data documenta fuerint. Neq;

III. ab exẽplo artium aliarum.

in re nautica naves actuariæ aut cataphractæ, aut barbotæ, aut barziæ committuntur, nisi remos antè qui duxerint, exercuerint se in celocibus, lembis, cymbis. Nec in bello Imperator, aut equitum magister aut ordinum doctor subitò quis evadit: tyro antè, & miles triarius, veteranus extiterit, intermedios gesserit honores: egerit tesserarium, optionem, signiferum necesse est. Et Ecclesiastica in disciplina gradus certi fuerunt, in quibus se exercuerunt, qui ad sacerdotij dignitatem aut Episcopatus contenderunt.

IV. à legũ præscripto & authoritate.

Etiam leges civiles jubent: ut gradatim honores deferantur, & ut à minoribus ad majores perveniatur. Digest. lib. 40. Tit. 4. Neq; Romæ

V. ab exem

facilè licuit, transcensis medijs honoribus, tribunatu plebis,

tu plebis, prætura, ædilitate ad Consulatum statim tendere: singulari istud exemplo T. Flaminio, Scipioni Africano, Q. Metello, Augusto & paucis alijs contigit: dignumq; memoria est quod Plutarchus refert, Tribunos plebis Fulvium & Manlium cùm Flaminium consulatum petentem impedire conarentur demonstrasse: mali rem exempli esse, juvenem nondum Reipub. quasi primis sacris & mysterijs initiatum, ad summum honorem contra leges perrumpere. Plutarchus in Flaminio, & P. Scipione, Appianus lib. 3. bellorum civilium. Sensim ita ac gradatim ascenderunt: Aristides justus, sed pauper: Phocion Athenienses: Pammenes Thebanus obscurus: Agesilaus apud Spartanos, qui, teste Xenophonte, & Plutarcho in ejus vita claudus, parvus, aspectu deformis, animo interim, magno præditus tandem rex est factus: M. Cato apud Romanos, qui perquam obscuris parentibus ortus, ad summos in Repub. honores pervenit.

plo Rerum publ.

VI. ab exemplo virorum magnorum, qui gradatim ad honores ascēderunt.

Ratio verò hoc modo emergendi atq; inclarescendi est: cùm juvenes senibus, obscuri claris adhærent: doctis indocti sese applicant: magnis ac potentibus infirmi se adjungunt, eorundemq; authoritate crescunt, ac velut radices agunt in Republica. Quemadmodum enim hederæ solæ relictæ in altum non evehuntur: validas autem celsasq; arbores amplexæ, unà crescunt & attolluntur: ita adolescentes ad honores ac dignitates ascendunt: cùm doctis, claris, prudentibus, magnis viris sese adjungunt.

Ratio gradatim emergendi.

Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis. Ita Aristides Athenis inclaruit, cùm Cliſtheni ſeſe adjunxit: Romæ magnus factus Cato eſt: cùm Q. Fabio Maximo adhæſit: L. Lucullus illuſtris evaſit: cum L. Lucullum coluit: Lyſandri authoritate & opera promotus Ageſilaus eſt: ad honores Epaminondas Thebanus pervenit: cum Pammenem ducem amavit ac coluit: Gabriam ſecutus, Phocion nomen eſt magnum adeptus.

Qui ad cultum ac imitationem proponendi.

Quam tamen ad rem duo neceſſaria eſſe videntur. Vnum, ut non temerè ad cultum atq; imitationem omnes proponantur, eum in finem ut emergamus in Repub. ſed adhibito judicio, ÿ quærantur ac eligantur: qui non ἁπλῶς, ſimpliciter clari, aut potentes, ſed propter virtutem ſunt: nec dominatum quærunt in alios, aut honoribus ſuis velificantur; aut invidia quadam laudem ac gloriam adoleſcentibus ſubtrahunt. Quod fecerunt quidam: ut T. Quintius, qui propter felicitatem in bello odiſſe cepit Philopœmenem Achæorum ducem: & Antonius Auguſtum: Trajanum Adrianus: Pompejum Marcellinus: Michaëlem Imp. Baſilius Macedo: Trebellium Iuſtinianus.

Gratitudo neceſſaria.

Alterum, ut gratitudo adſit: acceptorum maneat memoria. Multi enim multos amant, colunt, obſervant, comitantur: ſed dum claves adhuc, quod dicitur, quærunt: his inventis, cuculis magis ingrati evadunt.

Gratitudinis exempla.

Laudatus ob gratitudinem in Gabriam Phocion eſt: commodè hoc nomine Lucullus audivit

audivit, qui fidem semper Syllæ præstitit. Commendatus Lælius fuit, qui, cùm malevoli Scipionis dicerent: omnium actionum ejus authorem Lælium, Scipionem tantùm histrionem esse, non elatus hoc judicio populi, Scipionem contempsit: sed constanter gloriam ejus defendit. Nec minorem laudem Affranius reportavit, qui petiturus Consulatum: cùm alijs favere Pompejum videret, petere desijt: ne Pompejum offenderet. Placet enim populo ista modestia: multos amicos parit: minus sustinetur odij atq; invidiæ, si eventus instituto non respondevit. Vt contrà Agesilaus reprehenditur, qui ingratè ac contumeliosè Lysandrum tractavit, intempestiva ambitione atq; æmulatione motus. Plutarchus in gerendæ Reipublicæ præceptis. Ita Ioas, rex Iudæorum ingratus in Zachariam extitit. 2. Paralipom. cap. 24. Leonidas in Agidem. Plutarchus in Leonida. Cassander in Antiochum Pausanias in Atticis. Adrianus in Tatianum tutorem suum, & alios, quibus imperium debebat. Ælius Spartianus.

QVAESTIO XI.

VTRVM QVI VLTRO sese ingerunt & ambiunt Magistratus admittendi?

SVNT qui levitate quadam orta, aut ex inani gloriæ cupiditate, aut avaritia, aut contentionis

tentionis studio, aut otio molesto, aliorumq; negotiorum penuria ad Reipub. capessenda negotia aspirant: longa subsellia, & pulvinos tantùm non somniant: minimè interim probandi, & ad Magistratus gerendos admittendi videntur. Vt enim domestico fumo qui laborant, foris sociennos quærunt: quibus miserias animo suo, ut ille ait, expuere conantur: & in circulis ac leschis sine causa hærent: in macello & tonstrinis nova venantur: ita publica officia ambiunt inq; hæc ipsa sese ingerunt quidam: quia domi quod agant non habent. Verùm infelices in gubernatione sunt: quòd per jocum ac ludum publica negotia tractant: post eorundem cum dolore atq; dedecore difficultatem experiuntur. Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis. Ambitione deinde qui laborant: similes Histrionibus sunt: qui ad Theatrum sese componunt scenaq; inserviunt: duo interim incommoda magna: servitutem & ἀνιαρὰς ὀφλήσεις offensiones plurimas sentiunt. Idem ibid. Cum Ixione conferri compararique videntur: qui apud Poëtas dicitur cum nebula pro Iunone concubuisse, atq; ita Centauros procreasse: quòd ambitiosi, dum cœlum sese digito attingere opinantur; plerumq; facinora adulterina & exilia edunt: monstrosos ac centauricos habent impetus: multa, propter imperandi cupiditatem injustè agunt. Plutarchus in Agide. Tum & imperandi illa cupiditas levitatem præ se quandam ferre videtur: authoritatem nullam parit. Imò quò quisq; Magi-

Ambientes Magistratus minimè probandi & admittēdi.

Ratio 1. à causis.

Ratio 2. ab imperitia gerendæ Reipub.

Ratio 3. à simili.

Ratio 4. à turpi.

stratum

stratum appetit avidiùs: eò magis à populo contemnitur, seq; ipsum commendare necesse habet. Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis. Verùm pòst deprehenditur, quod Seneca scribit: ambitionem ad dignitatem non nisi per indigna ducere.

Exemplo sint Abimelecus, qui septuaginta fratres propter regnandi cupiditatem interemit: in Sichemitas occupavit imperium. Iudicum 9. Cambyses, qui eadem de causa Smerdem fratrem è medio sustulit. Herodotus lib. 5. Antoninus, qui supra matris pectus Getam fratrem obtruncavit: hoc addidit: sit divus, modò non vivus. Herodianus lib. 4. Sigebertus, Clotharij Francorum regis filius, qui fratrem Chilpericum incautumq; occidit. Ritius lib. 1. Boleslaus Vratislai Bohemorum regis filius, qui fratrem Wenceslaum ex hominibus abire coëgit. Sigebertus. Frengo Danorum rex, qui fratrem suum trucidavit. Saxo lib. 3. Lechus Craci Polonorum regis filius, qui fratrem Cracum incautum in venatione necavit. Cromerus lib. 2. Richardus II. Anglorum rex, qui Thomam fratrem ex insidijs interfici curavit. Polydorus lib. 20. Constans Imperator qui fratrem Theodosium hanc cum morte commutare vitam coëgit. Cedrenus. Lacedæmonij, Græciæ imperium affectantes pacem communem per Antalcidam constitutam violarunt. Diodorus Siculus lib. 15.

Et peccatum hac in re varijs modis Romana in Repub. vindicatum itidem legibus latis fuit: quas

Sigonius

Ratio 5. à legum authoritate.

Sigonius lib. 2. de Iudicijs cap. 30. recenset. Petelia, contra nundinas & conciliabula prensandi causa instituta: Bæbia, Æmilia adversus largitores lata: Cornelia, Fulvia: prohibente ne suffragia donis ac muneribus emerentur. Maria, quæ, ut Cicero lib. de legibus scribit, pontes in Comitijs angustos fecit: ne cui suffragatori ad rogandum locus in ijs pateret. Fabia, quæ de numero sectatorum egit. Acilia, Calpurnia: quæ statuit: ut, ambitus damnati qui essent, ijs, neq; magistratum capere, neq; in Senatum legi liceret: pecunia simul multæ loco, ut & exilium intentaretur. Dio lib. 36. Ausidia: qua constitutum fuit: ut domi divisores qui haberent, adversus Rempublicam facere viderentur. Cicero in Epistolis ad Atticum libr. Epistol. Licinia, in eos lata, qui sodalitia & ambitum commisissent. Cicero pro Plancio. Pompeja, quæ ejusdem accusatores, magno præmio proposito, constituit. Dio. Iulia Augusti, qua statutum fuit: ut, qui largitionibus magistratum petijssent, quinquennio vacarent. Dio libro 54. Meminerunt harum legum etiam Suetonius in Cæsare, Cicero libro 1. Officiorum & lib. 3. de legibus: ut & in Orationibus pro Muræna, Cluentio, Sylla, Plancio, in Vatinium habitis. Manutius de legibus Romanis, Nicolaus Gruchius de Comitijs Romanis libro 1. capite 5.

Agunt præterea contra ambitum dominandiq; cupiditatem: Plato libro primo & septimo de Republica:

publica: quarto de legibus. Aristoteles Politicorum tertio, capite septimo, Isocrates in Areopagitico, Seneca libro secundo de beneficijs animiq; tranquillitate. Et leges civiles quæ volunt: ut si quis contra legem Iuliam ambitus in municipio magistratum aut sacerdotium petierit, centum aureis cum infamia puniatur. Digest. lib. 48. Titulo 14. de lege Iulia ambitus. Cod. lib. 9. Tit. 26. Instit. lib. 4. Tit. 18. de publicis judicijs, ubi inter ea etiam lex Iulia de ambitu recensetur.

QVAESTIO XII.

VTRVM LARGITIONIBVS uti & emere Magistratus ac honores liceat?

EX ijs, quæ modò undecima sunt in Quæstione notata, etiam de hac quid sit sentiendum facilè intelligitur. Etsi enim tùm exemplis, tùm rationibus probari posse videatur: quòd.

LARGITIONES AC NVNdinationes admittendæ: emendi Magistratus & honores.

Pro largitionibus rationes.

Quia I. Magni ac clari viri hac ratione usi. *Cæsar largitionibus effusis q; sumptibus ita populum Romanum movit: ut novos magistratus*

Ratio ab exemplis.

ac hono-

ac honores quisq; quæreret, quibus cum afficeret, Plutarchus in Cæsare. Imperium Iulianus obtinuit: cùm militibus promisit, daturum quæ vellent: habere sese magnas opes, plenos auri argentiq; acervos. Eodem tempore illud ipsum fuit licitatus Sulpitianus, vir consularis ac præfectus Vrbi. Herodianus lib. Ælius Spartianus. Antonius Heliogabalus vendidit honores, & dignitates, & potestatem, tam per se, quàm per omnes servos. In Senatum legit sine discrimine ætatis, census, generis, pecuniæ merito. Ælius Lampridius in Heliogabalo. Philippus militum animos largitionibus demulcens, Imperium adeptus est. Zosimus, Pompejus, Lætus in Philippo. Idem consecuti sunt multi alij, auctionibus quasi factis.

Ratio 2. à consuetudine Romanorum ac Carthaginensium.

Etiam Carthaginensi in Repub. velut laudabile, concessum fuit, Magistratus emere: quam ut rectam ac præclaram commendat Aristoteles lib. Polit. 2. cap. 11. Et Romæ olim in honorum petitione non modò adhibiti amici, propinqui, necessarij fuerunt: probati salutatores, deductores, sectatores, suffragatores: admissæ nomenclationes, appellationes blandæ: verùm etiam grata extitit benignitas in dandis congiarijs, prandijs præbendis, gladiatoribus exhibendis, locis parandis, pecunijs dividendis. Sigonius lib. 2. de Iudicijs cap. 30. ex Livio, Cicerone, Asconio. Et si feudum à cliente vendi inter agnatos jure potest: multi magistratus sic dantur: ut juris hæreditarij vim habeant: quid

Ratio 3. à simili.

ni eme-

ni emere eosdem liceret? Casus in lib. Polit. 2. cap. 9.

Cùm præsertim & utilitati illud & honestati inserviat: quandoquidem ita Res crescit publica: ditiores ij fiunt, penes quos eligendi potestas est: & liberalitas atq; gratitudo laudem parit: neq; turpe, mercari officia: si modò qui dat, non secretò, sed publicè det: & cupiat prodesse: & sit idoneus. Geminianus. Atq; ita opes ac divitias suas ostendat: quæ neutiquam in legendo Magistratu negligendæ: propterea quòd (ut alia omittantur, quæ pòst afferentur) fieri non posse videtur: ut is, cui desunt rei familiaris facultates rectè fungatur magistratu, & otietur. Aristoteles Politic. 3. cap. 11. Rursus argumenta plura & meliora sunt, quæ probant contrarium: Ratio 4. ab utili & honesto. Ratio 5. à modis & cõditionibus largitionum.

QVOD NON LARGITIONibus utendum: nec Magistratus & honores emendi.

Quia I. Reipub. malè constitutæ argumentum: cùm Magistratus venales sunt: principatus ac regna pecunia parantur. Plato lib. 8. de Repub. Efficit hoc, ut majore in honore atq; pretio sint divitiæ, quàm virtus, & ut tota civitas immoderato pecuniæ studio dedita sit. Quicquid autem honoratum principes civitatis & dominatum in Repub. obtinentes existimarint, idem & reliquis civibus tale videatur necesse est. Arist. 2. Politic. capite 11. Contra largitiones rationes. Ratio 1. ab incommodis.

Probabile est porrò eos, qui magistratus emerunt, cùm impensam fecerint in magistratum, assuescere quæstum facere. Idem ibidem. Et certè provincias spoliari ac nummarium tribunal, audita utrinq; licitatione alteri non mirum: siquidem quod emeris vendere Iuris gentium est. Seneca lib. 1. de beneficijs.

Ratio 2. ab authoritate.

Ideoq; Severus Imperator nundinationes tales prohibuit: necesse esse dixit, ut qui emit vendat. Lampridius in Severo. Nero Imperij initio Senatui promisit: nihil suis in penatibus venale sese permissurum. Simanca libro 6. de Republica capite 16. ex Cornelij Taciti libro tertio Annalium Alexius Angelicus initiò proclamari jussit, Magistratus sese non venditurum, sed delectu ex optimis habito, gratuitò mandaturum. Nicetas libro secundo.

Ratio 3. à cõtemptu quem largitiones inducunt.

Quin ad ipsius Magistratus contemptum & officiorum publicorum res hæc facit: quandoquidem pretium quod habet, hoc ipso vilescit. Quintilianus libro 12. Institution. Orator. Simanca libro 6. capite 17. Vnde in Novellis Constitutionibus Constit. 8. Imperator cùm mandat; ut Provinciarum Præsides puris utantur manibus: ab omni acceptione abstineant: solis ijs contenti sint, quæ à fisco dantur: non aliter fieri illud posse affirmat: misi & ipsi cingula sine mercede percipiant: nihil omnino dantes, nec occasione suffragiorum, neq; ijs qui cingula habent, nec alij omnium ulli. Et additur

Ratio 4. à testimonijs ac legibus.

ratio

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0118
DFG

vatio ibidem. Quòd autem qui dat, atq; ita administrationem emit: non dat hoc solum, quantùm occasione adinuentum suffragiorum est: sed & aliud extrinsecus addit amplius occasione commodi, administrationem aut dantibus, aut spondentibus: & sic uno principio illicito dato, plurimas necesse est manus circumire eum, qui donationem facit. Leges ergo, non exempla hic valeant, quorum quisnam exitus extiterit, Historici ostendunt, ex quibus illa deprompta fuerunt. Et ut alijs de causis Aristoteles Carthaginensium Rempub. commendat: ita propter venales magistratus reprehendit: incommoda recenset, quæ inde oriri solent. Ratio 5. à testimonio Aristotelis

Nec feuda ac juris hæreditarij vim habentia ut vendantur, sed alium in finem esse data constat: quemadmodum & illud: minimè vel publicè, vel privatim nundinationes tales prodesse: sed ruinam atq; interitum, tùm Magistratus & Imperijs, tùm judicijs afferre: cùm horum fundamentum Iustitiam subtrahat: nec tam in mandandis honoribus ac officijs publicis ad opes sit respiciendum, quàm alia spectanda, de quibus deinceps agetur. Obiectorum refutatio.

QVAESTIO XIII.
VTRVM SEXVS RATIO habenda: etiam fœminæ ad gubernationes ac Magistratus admittendæ?

CONtroversa admodum hæc quæstio multisq; in regnis ac Dinarchijs agitata: num

muliebre imperium admittendum: rerum administratio penes fœminas esse debeat. Et quidem, quòd.

Rationes pro muliebri imperio.

A GVBERNATIONE AC imperio Fœminæ non excludendæ.

Ratio 1. ab exemplis.

Probant primò exempla: Deboræ, quæ magna cum laude populum judaicum rexit. Judicum 4. Semiramidis quæ, ob formam & prudentiam bellicam à Nino, Assyriorum rege ducta, mortuo illo Babylonem urbem condidit: universam Asiam præter Indos subegit: quadraginta duos annos regnavit. Diod. lib. 2. cap. 5. à cujus post tempore receptum fuit: ut uxores regum post eorum mortem regnarent. Arrianus lib. 1. Quin & morem hæc introduxisse fertur: ut maritis uxores imperent: harum illi dictis audientes esse cogantur. Alexander ab Alexan. lib. 4. cap. 8. Zarinæ Sacarum reginæ, ad quam Parthi à Medis defecerunt: quæ barbaras gentes plurimas suam in potestatem redegit: urbes condidit multas: admirationi cunctis extitit. Diodorus lib. 2. Semiamiræ, Heliogabali matris: cujus in gratiam Senatulus, id est mulierum Senatus, Quirinali in Colle Romæ est admissus. Lampridius in Heliogabalo. Zenobiæ, Odenati unius ex 30. Tyrannis conjugis, quæ, multorum sententia fortior marito extitit. Trebell. Pollio in 30. Tyrannis. Post Odenatum maritum imperiali

periali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum imperavit. Cui Aurelianus Imp. in quadam ad Senatum Roman. Epistola laudem tribuit: quòd sit prudens in consiliis: constans in dispositionibus: gravis erga milites: larga, cùm necessitas postulat: tristis, cùm severitas poscit: illius sit, quòd Odonatus Persas vicerit: &, fugato Sapore, Ctesiphontem usq; pervenerit. Idem ibid. Eudociæ, quam morti vicinus Constantinus Ducas Imp. liberis matrem Imperatricem ac nutricem, ac dominam reliquit: mandata Imperij administratione: quòd ei modesta videretur: nec minus ad tractationem rerum apta, quàm ad liberos educendos ingeniosa. Zonaras in Constantina Duca. Irenes, quæ mortuo Imp. Leone, unà cum filio Constantino, decimum tum ætatis annum agente, Imperium suscepit: cujus quamdiu imperio obtemperavit, cuncta domi ac foris sese bene habuerunt: nullæ populorum querelæ, nulli bellorum motus: pace & otio omnia floruerunt: secus eadem ab imperio remota. Zonaras & P. Diaconus in Constantino & Irene. Theodoræ, quæ pellendi tyranni causa extitit. Zonaras in Michaële Calaphate & Zoë ac Theodora sororibus. Vendæ in Polonia, Craci filiæ, cui regnum Poloni detulerunt: quæ Ritigeri Marcomannorum ducis nuptias respuit, principem se esse malle, inquiens, quàm principis uxorem. Cromerus lib. 2. Libussæ, Croci Bohemorum Ducis

filiæ: quæ Bohemiam totam sola primò gubernavit: pòst Primislao Rustico nupsit, cùm seditiosa multitudo Virum expeteret, qui sibi dominaretur. Æneas Sylvius. Margaritæ, quæ Daniæ ac Norvegiæ regina creata, Sueonum rege Alberto superato, etiam Suecorum regnum iniit. Ioannes Magnus lib. 19. Alexandræ, quæ, ab Alexandro Iudæorum rege marito administrandi regni ex testamento præpositæ, licet duos haberet filios: Aristobulum & Hircanum, novem annis principatum summa cum laude administravit. Iosephus lib. 13.

Ratio 2. à cõditione sexus fœminei.

Nec deinde rationes desunt: quandoquidem neq; censura, neq; sexum Virtus eligit. Seneca Epist. 3. Lipsius Polit. 2. cap. 3. Non semper masculum quicquid gignitur perfectius eo est, quòd fœmininum nascitur. Cabotus libro 1. disputationum cap. 38.

Ratio 3. ab exemplis fœminarũ in consiliũ adhibitarum.

Et sunt inventæ, etiam adhuc inveniuntur non paucæ preclarè instructæ paratæq; ab ingenio, prudentia, doctrina, animi magnitudine, gubernatione dignæ: gravissimis in negotijs ab hominibus laudatissimis in consilium adhibitæ. Egregia multa, leges plurimas & utilissimas, Numa II. Romanorum Rex, jussu Egeriæ Nymphæ, uxoris suæ tulisse dicitur. Notum illud Poëtæ:

Illa Numæ conjunx consiliumq; fuit

Ovidius 3. Fast. Livius lib 1. Plutarchus in Numa, Florus lib. 1. cap. 2. Cicero lib. 1. de legibus, Valerius Maximus lib. 1. cap. 3. Cyrus Persarum rex Aspasiam suam consuluit, eidem obtemperans arduis

arduis in rebus, bene feliciterq; rem gesſit. Ælianus lib. 12. Livia, Auguſti Cæſaris uxor, quàm in conſilijs dandis prudens extiterit, vel artificioſa illa oratio ad maritum habita oſtendit: in qua rationes exponit, quibus adverſariorum ac hoſtium occurrendum inſidijs ſit. Dio. lib. 55. Theodora Iuſtiniani Imp. Conjunx in conſilium de rebus graviſſimis adhibita. Ioan. Magnus Gothicarum Hiſt. lib. 13. Quod & ipſe fatetur, cùm Novel. Conſtit. 8. hæc, inquit, omnia apud nos cogitantes, & hîc quoq; participem conſilij ſumentes eam, quæ à Deo data eſt, nobis reverendiſſimam conjugem ad hanc ſacram venimus legem &c. Lacedæmonij quoq; mulieres publicis in conſilijs aſſumere, adhibere in Curia ad exequenda negotia ſunt ſolti: earundem arbitrio decreta multa fecerunt. Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 7. Plutarchus in Agide & Comparatione Numæ ac Lycurgi. Athenienſes veteres has conſilijs publicis intereſſe ac ſuffragia ferre voluerunt. Varro apud Gallos, quoties de bello aut pace conſultandum fuit, illas quoq; conſuluerunt. Plutarchus de Virtutibus mulierum.

Etiam privatim Vxorum monita maritis plurimum profuerunt: ut Pithei, quæ ab auri cupiditate nimia eum abduxit, cum omnia auro concinnata afferri juſſit: cibum nullum appoſuit fame laboranti. Plutarchus ibid. Iuliani quæ ob exactiones nimias Imperatorem reprehendit: effecit quoq; ut has ipſas poſtea detrectaretur: fiſcum lienem appellaret:

quòd eo crescente, artus reliqui tabescant. Aurelius Victor in Iustiniano, Tiraquellus in legibus connubialibus leg. 11. num. 11. ubi & Catalogus bene longus earum mulierum habetur, quæ eruditione ac doctrina viros superarunt.

Ratio 4. à fotitudine fœminarũ.

Magno præterea animo præditas fortesq; esse easdem nemo negabit: cùm ob fortitudinem Deborra commendetur Iud. 4. & Iudith, cap. 13. & Semiramis Nini uxor. Iustinus lib. 1. & Tomyris, quæ Cyrum superavit. Herodotus lib. 1. & Amazones. Diodorus Siculus lib. 3. & Artemisia Cariæ regina, quæ pro Xerxe contra Græcos strenuè fortiterq; pugnavit. Herodotus lib. 8. Valasca Boëma. Dubravius lib. 2. Plures aliæ quarum meminit Plutarchus in libello de Virtutibus mulierum, Gregorius Tholozanus lib. 7. de Republica cap. 11.

Ratio 5. ab authoritate legum.

Quin & leges vitium illud antiquæ subtilitatis corrigunt: quo alia jura fœminarum & masculorum constituta in successionibus testamentarijs & ab intestato fuerunt. Cod. lib. 6. Tit. 28. de liberis præteritis vel exhæredatis, & Novella 115. cap. 3. Et unum ordinem in omnibus ponere sese nepotibus & pronepotibus affirmant: non ferentes fœminam è masculo in talibus minui: quòd neq; masculis ipse in se, neq; fœmina solùm ad nativitatis propagationem sufficiens sit: sed, sicut utrumq; eorum cooptavit DEVS ad generationis opus, ita etiam eandem utriusq; servandam æqualitatem esse censeant. Novel. Constit.

Constit. 18. At sunt & contrà rationes, planum quæ faciunt: quòd.

A GVBERNATIONE AC imperio Fœminæ excludendæ.

Rationes contra muliebre imperium.

Quia I. *lex divina subesse, non imperare viris fœminas jubet. Genes. 3. & 1 Epist. D. Petri cap. 3. ad Ephesios 5. ad Colossenses 3. ad Corinthios 1. cap. 11. Deinde Naturæ lege magis ad imperandum aptum, quod est masculum quàm quod fœmineum est: nisi fortè à natura ipsa defecerit. Aristot. Polit. 1. cap. 8. Bodinus lib. 6. Polit. cap. 5. Lipsius Polit. 2. cap. 3. Quia viris dedit prudentiam; animi magnitudinem, robur, vim imperandi mulieribus ademit: aut saltem imbecillam, languidam imperfectam concessit. Aristot. Polit. 1. cap. 8. Largita hæc eadem calliditatem est: instruxit dolis harum pectus: sed vim negavit: ne inexpugnabiles essent: frangeret vires timor. Plato. 7. de Legibus, Seneca in Octavio, Lipsius Polit. 2. cap. 3. Accedit huc loquacitas. Qui enim fœminæ aliquid committit, idem facit, ac si in foro denunciaret voce præconum omnibus. Antiph. apud Stobæum Sermone 72. Et meritò, inquit illa, loquaces omnes habemur: nec mutam repertam ullam esse hodie dicunt mulierem ullo in seculo. Plautus in Aulularia.*

Ratio 1. ab authoritate divina.

Ratio 2. à lege naturæ.

Quin & virilia munera multa sunt fœminarum sexui ac pudori contraria. Magistratus enim

Ratio 3. à turpi.

publica est persona, & palàm atq; publicè sui facere copiam debet: contra ergo muliebrem pudicitiam est visum bonis, hominum eas consortijs interesse. Bodinus lib. 6. de Repub Fœminæ est: manere domi: tolerare colo vitam: famulas ad lumina longo exercere penso: ut Virgilius requirit 8. Æneid.

Ratio 4 à petulantia ac insolentia muliebris sexus.

Huc accedit, quod, quò magis ob naturæ imbecillitatem animorum sunt motibus obnoxiæ, eò quoties legum frænos licentia perruperit, longiùs progrediuntur; difficiliùs revocantur; ad modestiam vix unquam redeunt: quippe morborum ac remediorum juxta impatientes. Quòd si quæ inter eas fortiores videntur, eò magis sunt periculosæ: quòd vehementiores impetus habeant: & quæ tædio sexus fœminam semel exuerunt, etiam ultra curas viriles licentiam extendere volent. Buchananus lib. 12. rerum Scoticarum in oratione Kennedi. Neq; illud contemnendum, quòd quanto quisq; sui minorem fiduciam habet, tanto facilius aliorum dicta & facta ad suam contumeliam accipit: vehementiùs irascitur: ægriùs pacatur: imoderatiùs vindictam exercet: & velut contemptum sui ulciscitur. Hæc omnia, quàm sint Magistratum gerentibus adversa, nemo ignorat. Idem ibid.

Ratio 5: ab exemplis malè administratæ Reipub. à muliebri sexu.

Vt nihil de eo nunc dicam, quòd malè rem fœminæ ad gubernacula admotæ gesserunt. Crudelis ac injusta Attalia: Cleopatra libidinosa simul & sanguinolenta: Semiamira Heliogabali mater meretricio more vivens, turpia cuncta exercens in aula:

Senatus

Senatus consulta videns ridicula de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederent: quæ cui cederet: quæ ad cujus osculum veniret: quæ pilento, quæ equo saginario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum: quæ sella, & utrum pellicea an ossea, an eborata, an argentea: quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent. Ælius Lampridius in Heliogabalo. Vnde cautum pòst etiam fuit: ne unquam mulier Senatum ingrederetur: utq; inferis caput ejus dicaretur devoverciturq; per quem factum istud esset. Idem ibid. Alexandro Imp. atq; adeo imperio Romano toti mater Mammæa nocuit plurimùm: cùm domi cum retinuit: mulicbri pavore, & charitate filij nimia: suadens alios potius periculis exponeret, quàm ipse in acie consisteret. Herodianus in Alexandro. Nec eidem multum Livia Tiberij mater profuit: quæ superbia reliquas fœminas omnes longo post se intervallo reliquit: extra consuetudinem populi Romani introduxit plurima. Quæ indignè ferens Tiberius nihil post insolens agere ei permisit: etiam decretos honores, exceptis minimis, improbavit. Dion lib. 57.

Quin & servum nimis servitium est mulieribus obedire: & ubi hæ imperant, non modò à libertate, sed etiam à servitute homines degenerant. Tacitus de morib. Germanorum, Lipsius libro 2. Politic. 3. Ratio 6. à turpi.

Vnde Romanis moribus prohibitum erat judicare, vel arbitrium suscipere Et DEVS, quoties nominis sui ho- Ratio 7. à testimonijs.

sui hostes ulturum sese minitatur, fœminarum imperijs eos subditos fore minitatur: quasi malorum omnium extremum illud sit. Esaiæ 8. Bodinus libro 6. capite 5. Itaq; ut tulerunt quidem in summo honoris gradu nationes quædam fœminas, non illas quidem judicio & suffragio electas, sed nascendi sorte oblatas: nullus tamen unquam populus, cùm libera essent suffragia, cùm Virorum quantulacunq; esset copia, sibi fœminas præfecit. Buchananus rerum Scoticarum lib. 12. in Oratione Kennedi.

QVAESTIO XIV.

VTRVM IN MAGISTRATU legendo ætatis ratio habenda?

Vsus quæstionis.

QVemadmodum *sexus est ratio in mandandis Magistratibus habenda: ita spectanda quoq; ratio est: nec incommodè quæritur: Iuvenibus ne an Senib. illi committendi. Et peccari hîc utrinq; solet, cùm vel adolescentuli imperiti rerum, senioribus præferuntur: vel his planè exclusis, magistratus dantur senibus admodum decrepitis, & jam pueris factis. Magnum verò quæstio hæc usum habet: cùm ad regnum aut principatum aliquem obtinendum quis commendandus: quod de ætate juvenili objicitur diluendum est: quemadmodum in Philippicis Augustum Cæsarem commendat: refellit id quod de legibus annalibus à nonnullis objiciebatur. Quòd autem.*

SENI-

SENIBVS MAGISTRATUS gerendus: Res capessenda publica.

Rationes pro Senibus.

Ratio 1. à testimonio S Scripturæ.

Probant quæ sequuntur: quia primò in antiquis sapientia, & in multo tempore esse prudentia: annorum multitudo sapientiam docere dicitur. Iob. cap. 2. & 32. Speciosum canicies judicium, & speciosa veteranis sapientia, gloriosus intellectus & consilium habetur. Eccles. cap. 25. Væ esse terræ illi docetur: cujus rex puer est. Eccl. 18. Deinde nomen hoc indicat, clavum imperij seniores tenere oportere. Appellarunt Spartani Magistratus suos πρεσβύγενας, *natu grandiores, &* γέροντας, *senes: à senio nomen apud Romanos Senatus accepit:* γερουσίαν *Curiam vocari Romulus voluit. Plutarchus in libello: an senibus Respub. gerenda: & in vita Romuli.*

Ratio 2. à nomine & appellatione.

Ratio 3. ab authoritate Platonis, & legum civilium.

Legibus præterea constituendum esse Plato monet: ne quis Magistratum quenquam gerat, qui pauciores, quàm quinquaginta annos habuerit. Iuvenes non admittit: quòd soleant esse simplices & minimè mali & improborum hominum versutijs facilè circumveniantur: cùm earundem affectionum exempla in se minimè habeant. lib. 3. & 5. de Repub. Quin & leges civiles hoc requirunt, quæ ad Remp. administrandam nolunt ante vicesimũ quintum annũ; vel ad munera, quæ non patrimonij sunt, vel honores minores admitti. Digest. lib. 40. Tit. 4.

Et alias

Ratio 4. à consuetudine Romanorum & aliorũ.

Et ætas in legendo Senatore certa Romæ est observata. Nec consulatus geri potuit ante 43. annum: prætura ante 40. ædilitas & quæstura ante 27. Gruchius lib. 1. de Comitijs Romanorum, Sigonius de antiquo jure civium Romanorum lib. 2. cap. 2. Gregorius Tholozanus lib. 4. de Repub. cap. 5. Etiam ad judicandum annus ætatis legitimus trigesimus quintus fuit. Suetonius in Augusto. Apud Chalcidenses infra 50. annum Magistratum gerere nemo potuit: uti nec Spartæ. Heraclytus de Politijs, Plutarchus in Lycurgo.

Ratio 5 à conditione ac moribus Senum.

Neq; id immeritò: siquidem est in senibus mens ac intelligentia. Arist. Polit. 7. cap. 16. Cicero in Catone. Senescentibus vitijs, fervore & audacia ætate sublata, consilium indies crescit: est corporis infirmitas, mentis sobrietas: senescentibus corporis membris, sensibus emollitis, in consilium proxima transeunt. Livius lib. 3. Simanca de Repub. lib. 7. cap. 8. Accedit experientia, & rerum multarum usus: ut tertium quendam oculum senes habeant, quo rerum eventus facilè prospiciunt. Plato 3. de Repub. Isocrates in Epistolis Epist. 6. Euripides in Phœnissis, Sophocles in Thyeste. Et, ut medicus ille melior dicitur, qui diutius inter ægrotos versatus est, aut ipse æger extitit: ita senex acutiùs prospicere judicatur, quid expediat, quàm juvenes.

Ratio 6. ab ordine naturæ.

Sed & ordo naturæ hoc requirit: ut juvenes senili sub disciplina vivant: ut quæ à minus perfecto ad perfectum progressa, juventutis obsequium

sequium, imperium senectutis docet Arist. Polit. 7. cap. 14. Casus.

Et possunt ita obtractationes atq; odia vitari: quia carent odio ac invidia senes: aut, si est in invidia, similis fumo est, qui cum initio adeuntibus ad Rempub. quasi incensus largius offertur, postquam hi effulserunt, evanescit. Plutarchus in libello: an senì Respub. gerenda. Sed & hac de causa Senibus Respub. capessenda: ut juvenes multos ad administrandam Rempub. rectè informent. Idem ibidem. Ratio 7. à commodis.

Cùm verò & authoritas plurimùm in Magistratu posit: vel hoc nomine senum ratio habenda: utpote in quorum vultu observanda maturitas apparet: plurimum quoq; authoritatis apud populum conciliat. Ibidem. Est contrà adolescentiæ ac florentis ætatis propria temeritas. Cato de Senectute. Per ætatem juvenes imprudenter multa faciunt: nec rerum ante exitus vident: sunt maximè in eo vituperandi, quòd illos, quorum sequi consilia debebant, aspernantur. Cominæus libro septimo. Ad honores evecti intemperanter atq; insolenter sese gerunt: ad aliorum judicia & opiniones respiciunt: pejora facilè præcepta audiunt. Senecæ in Thyeste. Affectus vehementes habent, eosdemq; regere nequeunt. Idem in Troad. Aristoteles 2. Rhetor. capite 12 Itaq; proverbio tritо: Hasta juvenum: consilia senum usurpatur. Plutarchus an senibus gerenda Respublica. Et Ratio 8 ab authoritate Senum. Ratio 9. à conditione adolescentum.

in Sena-

in Senatu constituendo lex divina Seniores septuaginta cogere mandat: qui cæteris sapientia, prudentia ac scientia præstent. Sapientia, ut pietatem ab impietate secernant: prudentia, ut turpe ab honesto sejungant: scientia, ut verum à falso distinguant. Bodinus libro tertio de Republica, capite septimo. Et quales esse soleant ad gubernacula adolescentes adhibiti, Roboamus docet, qui relicto seniorum consilio, seipsum maxima regni parte privavit libro 3. Regum, capite 12. Et Alexius, qui Manueli Comneno adhuc puer successit in imperio. Ob immaturam verò ætatem consilijq; inopiam, nullam officij sui rationem habuit: inani fastu ac superbia elatus, venationibus & equitationibus incubuit: puerorum, cum quibus colluderet, familiaritate est usus. Nicetas.

Ratio 10. ab incommodis, quæ oriuntur, si impuberes in regno succedant.

Quantum verò regnis noceat, si regum filij, etiam impuberes in regno succedant, coronentur, tutorum arbitrio subjecti, vel Caroli VI. Gallorum regis exemplum ostendit: qui cùm solo nomine rex esset, æmulatione factionum Gallia intestinis bellis miserè agitata: Angli à Burgundione evocati, regnum occuparunt: & rege suam in potestatem redacto, quas voluerunt fœderis conditiones scripserunt. Æmilius lib. 10. Polydorus lib. 23. Et Frothonis III. sub quo rege impubere Dania miserrimè improborum præsidum tyrannide oppressa est Olaus lib. 8. Neq; tamen ita senum ratio habenda, ut alij prorsus amandentur: sed &.

IVVE-

IVVENES AD HONORES ac Magistratus admittendi.

Pro Iuvenibus rationes.

Ratio 1. à vitijs & incõmodis Senum.

Non enim omnis senectus venerabilis & apta, sed illa, quæ non canis, sed meritis albescit. Et est canities animæ in canis cogitationibus ac operibus fulgens. Simanca lib. 7. de Repub. cap. 8. ex D. Ambrosij Epistola 60. Sunt deinde senes decrepiti bis pueri: nonnulli παιδογέροντες, ratione ac consilio pueri. Plato in Axiocho 1. & 7. de legibus. Ac propterea legum constitutio non permittitur, ut si septuagesimum annum excesserint, magistratum gerant. Plato lib. 6. de legibus. In Senectutem præterea, quicquid in natura est ruinosum ac interitui obnoxium confertim sese effundit: & quidem ita, ut nullis remedijs illa imbecillitas averti queat. Quòd si quis tardiùs, velut debitam vitam non reddiderit, natura tanquam fœneratrix instans ac urgens ab alio aspectum, ab alio auditum, sæpenumerò utrumq; tanquam pignus exigit. Plato in Axiocho.

Ratio 2. ab exemplis eorum, qui ob senium oblatum suscipere imperium recusarũt.

Ideoq; Imperium oblatum quidam suscipere recusarunt. Macrianus admittere illud noluit: quòd senex esset, equitare ad exemplum non valeret: lavandum sibi esset frequentiùs: edendum delicatius: juvenes quærere jussit. Trebel. Pollio. Sunt ad hæc Senes suspicaces, parvis & angustis animis præditi, meticulosi, queruli, utilitatem magis, quàm honestatem spectant. Aristoteles Rhet. 2.

Ratio 3. à virtutibus & cõditione luvenũ.

cap. 12. Vt contrà adolescentes præditi multis, quæ ad Rempub capessendam necessaria.

Sunt animosi ac fortes: sunt laudis ac gloriæ cupidi: in rebus agendis honestatem non utilitatem propositam habent. Aristoteles ibid. Nec annorum spatium, sed ingenium ac diligentia in causa, ut alios prudentia superent. Ideoq; nulla in consilijs ætas repudianda. Isocrates in Archidamo.

Ratio 4. à legum authoritate.

Et leges, cùm de ijs agunt, qui ætatis impetrant veniam, ob anticipatam ætatis prudentiam gratiam adolescentibus faciunt: dant potestatem judicandi ac gerendi Magistratus: sed ita ut non minores sint 14. annis. Etsi enim de Catonis sententia, senilis juventa præmaturæ mortis esse signum videatur: maturè magnum ingenium vitale non judicetur: tamen sunt adolescentes in quibus aliquid senile: prudentia ætatem supplet. Cicero 4. Philip. Et ab excellenti atq; eximia virtute ætatis progressus non expectandus. Idem 5. Philip. Et Iuvenes ad imperia ac Magistratus fuerunt evecti.

Ratio 5. ab exẽplis eorum, qui juvenes ad imperia ac magistratus evecti

David fratrum suorum minimus rex est Iudæorum electus. 1. Samuelis cap. 16. Salomon duodecim natus annos 3. Regum cap. 3. Alexander Magnus cùm res maximas gessisset, tertio ac trigesimo anno mortem obijt Romæ Corvinus, Marius junior, Scipio Africanus, Pompejus, Augustus, alij ob singularem rei militaris disciplinam ingenijq; candorem ante tempus Consulatum & alios honores consecuti sunt Plutarchus in vitis, Appianus lib. 3. bellorum

bellorum civilium, Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 3. Plinius de Viris illustrib. cap. 29. 49. 68. 77. Alexander Severus puer adhuc à Senatu Cæsar est factus. Lampridius, Volaterranus lib. 23. Gordianus anno ætatis 11. vel, ut alij, 13. ut Iunius Cordus dicit 16. Iulius Capitolinus. Otho III. annos vix 11. natus: mirabilia mundi dictus propter sapientiam ipsam ætatem superantem. Sigebertus in Chronicis. Carolus V. cui ætate non magna prædito diadema est superimpositum. Sleidanus lib. Comment. 1. Carolus VIII. Francorum rex anno 13. regnum iniit. Ricius lib. 3. Franciæ regum. Raymerus III. annum ætatis quintum agens patri in Hispania successit. Ricius libro secundo. Henricum Procres Angliæ novennem regem crearunt. Polydius lib. 16. Et sanè si in Magistratibus ætas certa observanda sit, sit ut magna Virtutis indoles priùs extinguatur, quàm prodesse Reipublica possit. Cicero 5. Philippica.

De quæstione proposita quid sentiendū.

Concludendum igitur videtur, non à Magistratibus & officijs publicis excludendos omnes adolescentes, sed tantùm rerum imperitos ac rudes esse, conjungendos cum senibus: ut, quod Plato de vino nimis forti scribit, dilvendum illud aqua esse, & insanum Deum sobrio aliquo temperandum: ita conjungendam cautionem senilem cum fervente studio adolescentum. Plutarchus in gerendæ Reip. præceptis. Cogitandum senibus, etiam se aliquando adolescentes fuisse, & consilijs atq. actionibus

suis ad honorum gradus ascendisse, idq; accidere etiam alijs posse maximè ijs quibus recta voluntas adest. Demosthenes Epistola 5. Ideoq; malè illos facere, qui juvenum commodis ac honoribus obstant: non secus atq; arbores vetulæ subnascentes arbusculas umbra sua premere & necare solent. Plutarchus in gerendæ Reipub. præceptis.

QVAESTIO XV.

VTRVM PATRIÆ RATIO IN legendo Magistratu habenda: peregrinis hic potius, quàm indigenis committendus.

Quæstionis usus.

CONtroversa & hæc maximè Quæstio est. Sunt enim qui à Magistratibus ac officijs publicis prorsus peregrinos excludunt: non nisi indigenas ad hæc esse promovenda censent: reperiuntur rursus, qui ea ipsa credere exteris, quàm suis malunt. Vnde odia, contentiones, factiones, bella intestina sæpenumerò & subditis, & Principibus perniciosa oriuntur. Ac qui sanè quòd.

Rationes pro Indigenis.

INDIGENÆ PEREGRINIS anteponendi.

Ratio 1. ab authoritate divina.

EVincunt rationes quæ sequuntur. Siquidem DEVS ipse mandat; ut, si eligendus Magistratus, è numero fratrum eligatur: neq; rex constituatur, qui alterius gentis sit. Deuteronomij 17. Bene con-

Ratio 2. ab

stitutæ Respub. Romana, Carthaginensis, Athenien-

sis

nienſis, & hoc tempore Veneta, & aliæ Magiſtratus ſuos civibus tradunt. Patricius lib. 3. de Repub. Tit. 2. Apud Maſſilienſes, qui laudem æquitatis legum habuerunt nemo πμῆχ& creatus fuit, niſi qui liberos haberet, & de civium ſanguine tertiam per generationem ortus eſſet. Strabo lib. 4. Geographiæ. Syracuſani quoq; non niſi priſcis civibus & familijs vetuſtis magiſtratus adhibuerunt. Diodorus lib. 11. Et, ſi non utile judicatur, cives eſſe peregrinos: quòd fortiores facti tales indigenas expellunt, Reſpub. turbant, ſeditiones excitant: quemadmodum Achæi Trœzenios, Thurij Sibaritas, Samij Zancleos, Chalcidenſes Amphipolitas ejecerunt. Ariſtoteles Polit. 5. cap. 3. multò minus illud probandum videtur: ut Magiſtratus peregrini gerant. exemplis bene conſtitutarum Rerum-publ.

Experientia quoq; teſtatur, contraria in eodem loco cohabitare non poſſe: peregrinos & advenas fructum civitatis devorare, non ſecus atq; locuſtæ ſegeti nocere ſolent. Ariſtot. ibid. & in hunc Caſus. Et homines peregrini peregrinos ſecum ſermones adferunt: unde nova de rebus judicia oriuntur: ex quibus fieri non poteſt: quin affectus multi: conſilia talia naſcantur, quæ planè diverſa ab inſtituta Reipub. ratione: quæ eſt inſtar vocum conſonantia, nec diſcrepantiam admittit. Plutarchus in Lycurgo. Imò ſunt, qui putant principem novum, ſi ſentiat ſeſe inferiorem ad principatum conſervandum, non poſſe melius ſibi conſulere, quàm Ratio 3. ab incommodis peregrinorum.

si omnia incipiat innovare: novos constituat magistratus, ad eos homines eligat novos. Machiavellus de Repub. lib. 7 cap. 26. Ac licet princeps externus bene rem gerat: tamen quia moribus & ingenio differt: nec erga populum repræsentare potest eam benevolentiam ac si indigena esset, faciles oriuntur dissensionum occasiones. Vnde ut se tueatur princeps, necesse habet, ut copias aliunde adducat: militum sese præsidio muniat: qui beneficijs & honoribus postea aucti, odium atq; invidiam multitudinis in se concitant. Comminæus lib. 5. Exempla hoc testantur: Wilhelmi Neapoleos & Siciliæ regis, qui cùm Gallos eveheret ad honores atq; officia, præteritis indigenis magnam sibi invidiam conciliavit: fecit ut omnes Galli uno tempore interficerentur; Hardicanuti, Regis Daniæ & Angliæ: ubi etiam Dani ab Anglis cuncti interfecti sunt. Vngarorum, qui à Polonis cæsi omnes fuissent: nisi regiam arcem occupassent, pòst certis conditionibus domum redijssent. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 5. Alberti Magnopolensis, qui in Sueonum regem electus, cùm Teutonibus loca & officia committeret: nobilissimas virgines ac viduas in extraneorum & indignissimorum conjugia consentire cogeret, à suis victus ac in carcerem conjectus fuit. Ioannes Magnus lib 11.

Ratio 4 à commodis indigenarum.

Huc accedit: quòd longè sunt faciliores & proniores ad obtemperandum concives, quàm si à peregrinis res agatur. Patricius de Republica lib. 3.

Tit. 2.

Tit.2.Cumq; caput sit, nosse Rempub. perspectos habere civium mores, civibus utiq; rectius ac tutius, quàm peregrinis & externis Respub. committitur: utpote quibus subditorum imperia non sunt nota: perspecta instituta: explorati mores. Aristot. lib.1. Rhet. cap.6. Cic.2. de Oratore. Multò quoq; diligentius ac fidelius Remp. indigenæ, quàm alienigenæ gerere solent. Vnde, alia silentio ut involvantur, Boëmi ne externis publicam salutem crederent, ad indigenas cucurrerunt: Georgium Pogiebrachium, cujus in longa gubernatione justitiam, Virtutem, prudentiam & integritatem sat exploratam habuerant, repulsis competitoribus externis, regem suum declararunt. Vngari Matthiam Corvinum. Bonfinius lib. 9. Decad. 3.

PEREGRINI AB HONORIBVS non excludendi.

Rationes pro peregrinis.

Ratio 1 ab exemplis eorum qui peregrini Magistratus gesserunt.

Verùm non, quia comparatione facta, indigenarum ac civium est ratio habenda in honoribus & magistratibus mandandis, iccircò ab his excludendi prorsus peregrini sunt. Nam & Numa Pompilius, non modò non patricius, sed ne civis quidem Romanus, ex agro Sabino, autoribus patribus Romæ regnavit. Livius lib. 1. Plutarchus in Numa, Florus lib.1. Dionysius lib.2. Orosius lib.4. Eutropius lib.1. Plinius de Viris Illustrib. cap. 3. Lucius Tarquinius Priscus, Græci Demarathi filius, rex est Romæ factus v vis adhuc Ancì liberis. Livius lib. 1. Florus lib.1. Dionysius lib.3. Eutropius lib.1 Plinius de Viris

Illustribus cap. 6. Nec etiam exactis regibus, clausa peregrinæ Virtuti fuit. Livius lib. 4. in Oratione Canulei. Est M. Perpenna, *Græcus natione Consul Romæ factus: & L. Cornelius Balbus Gaditanus. Plinius lib. 5. cap. 5. Eutropius lib. 4. Etiam familiæ præcipuæ ac Consulares è peregrinis ortæ Romæ fuerunt; & quidem tum solida domi quies, & adversus externa Romani floruerunt. Ac sanè omnia quæ vetustissima nunc creduntur, antè nova fuerunt: & quod exemplis nunc tuemur, inter exemplа olim erit. Cornelius Tacitus lib. 11. in Oratione Neronis pro peregrinis. Inter Imperatores post bene imperio profuerunt: Nerva, oppido Narniensi genitus. Aurelius Victor: Trajanus, qui nec Italus erat, nec Italicus, sed Hispanus à Nerva Imperator designatus: quòd censeret: Virtutem cujusq; non patriam existimari & ponderari oportere. Dio in Nerva.*

Ratio 2. ab authoritate peregrinorum.

Neq; exempla tantùm pro peregrinis faciunt, sed & rationes ab his stant. Siquidem authoritas peregrinorum major, quàm indigenarum est: minus in patria sua homines, quàm apud exteros honorantur: quòd multi, qui cognoscunt infirma eorum, semper in memoriam illa reducunt: etiam malitia quadam defectus magis, quàm Virtutes considerantur. Errat præterea multum in judicando populus, cumq; alios pares esse videt genere, vel alia ratione omnino pares eos esse credit. D. Thomas in Matthæum.

Accedunt

Accedunt huc incommoda plurima, quæ oriuntur, cùm indigenæ peregrinis præferuntur. Si enim multi sunt qui ambiunt, æqua potestate ac gratia præditi: populus in factiones distrahitur: oriuntur inter ambientes controversiæ & contentiones graves: mutuis rapinis ac cædibus Respub. divellitur. Bodinus de Repub. lib. 6. cap. 5. Nascuntur etiam inimicitiæ, cùm in civem cives vel justissimè animadvertunt: ut & Iustitia sæpe exulat: dum in propinquitatis communione amicitiam natura ipsa parit. Simanca de Repub. lib. 8.

Ratio 3. ab incommodis, quæ oriuntur si peregrini excludantur.

Hinc in Gallia, etiam ex constitutione Philippi Pulchri regis & Caroli V. idem obtinuit, qui alienigenas civibus suis præfecerunt: ne, si cives civibus præessent, vel nimia indulgentia illis parcerent, vel veteri quodam odio præter modum in eos sævirent. Guagninus lib. 9. Itaq; peregrinitas non prorsus rejicienda: & si (quod fieri interdum solet) hæc invidiosè ab indigenis objiciatur, illud asserendum, quod Cicero adversarijs suis respondet: non peregrini habendi, quorum jam & nomen, & honor Vrbi inveteravit, & hominum famæ & sermonibus: neq; patiuntur se ab alijs verborum jactantia inani superari, nisi Virtute vincantur. pro Sylla.

Ratio 4. ab institutis ac consuetudine aliarum nationum.

Peregrinitas si objiciatur quid respondendum.

QVAESTIO XVI.
AN GENVS IN MAGISTRATV observandum?

AN in deferendo Magistratu quoq; generis, ortus, familiæ sit ratio habenda, haud opinor,

Quæstionis usus.

incommodè quæri solet. Sunt enim qui ad familias tantùm nobiles ac vetustas hîc respiciunt: homines novos obscuroq; natos loco, etsi Virtute præditos prætereunt: contrà alij, ut ægrè illis faciant, hos promovent. Itaq; rationes, in utramq; partem quæ afferri possunt, notandæ considerandæq; erunt.

Spurij toroq; illegitimo nati ad imperia ac Magistratus an admittēdi. Pro Spurijs.

Neq; verò de Anengijs, Scotijs, Parthenijs, toroq; illegitimo natis esse dubitatio potest. Etsi enim hujus generis homines non pauci in alios imperium obtinuerint: Iephta Galaadites, Israëlitarum Iudex. Iudicum 11. Themistocles Abrotoni meretricis filius, qui hac etiam de causa in gymnasio Cynosarges tantùm extra urbem exercebatur: in quo Spurij soli conveniebant. Plutarchus in Themistocle, Athen. lib. 13. Timotheus scorti filius qui dux Athenienſium factus, cùm aliquando carperetur: quòd ex matre hujusmodi esset, illi sese gratiam habere dixit, quia ob illam Cononis filius esset. Athen. lib. 13. M. Brutus ex Servilia, Catonis sorore impudica, quæ palàm stupri commercium cum Cæsare Dictatore habuit. Plutarchus in vita Bruti: Heliogabalus Antonini Caracallæ Imp. & Symiamiræ filius. Ælius Lampridius & Capitolinus. Alexander Imp. filius Mammeæ. Cuspinianus. Theodoricus Ostrogothorum rex, Valamiri, & Aurilenæ concubinæ filius. Ioannes Magnus lib. 9. Carolus Martellus Pipini filius nothus ex Alpaide pellice. Æmylius lib. 1. Manfredus Friderici II. spurius ex concubi-

concubina Blanda. Cuspinianus. Adelstanus Anglorum rex Edoardi I. filius, ex Edgina, puella rustica. Polydorus lib. 6. Sint quoq; sæpe ingeniosi, fortes, felices, tamen in eligendis ac constituendis Magistratibus etiam ad genus & nativitatem respiciendum est. Contra Spurios.

Itaq; Indi certos præfectos habuerunt, scrutatores nativitatis & mortis cujusq;, & Romani præfectos ærarij, qui in æde Saturni singulos cives de natis suis audiverunt. Vnde & intra tertium diem liberis nomina imponere coacti fuerunt. Strabo lib. 15. Ratio 1. à consuetudine.

Plato quoq; vult ut Candidati Magistratus alicujus, eo tempore, quo Comitia habentur, in ara DEI nomen suum, & patris, & genis, & tribus in tabula scriptum deponant: atq; ita quasi in testimonium DEO vocato profiteantur se legitimè natos esse, lib. 6. de legibus. Et Aristoteles in Politicis suis non vult ut spurius in regno succedat. lib. Polit. 3 cap. 11. Ratio 2. ab authoritate Platonis & Aristotelis.

Neq; rationes hic desunt. Cùm enim admittuntur tales, quasi faces accenduntur libidinum: dantur præmia adulterijs. Aristot. Polit. 4. cap. 6. & in hunc Casus. Magistratus infamia & macula insigni notatur, cùm tales ad subsellia, consilia ac honores admittuntur. Idem ibid. Nec possunt non timidè demisseq; tales rem gerere, quia animi spiritum deprimit genus subditium & adulterinum, & cùm quis meminit scelerum parentum suorum. Plutarchus de educatione liberorum, Euripides in Hippolyt. Ac tametsi ejusmodi homines Ratio 3. à malâ & incõmodis quæ spurijs admissis oriuntur.

Ratio 4. à conditione & ingenio demissorum.

homines generis infamiam auro nonnunquam redimant, tamen ijs similes sunt, qui ligneum nasum fingunt. Nam neq; hic color vitium expungit, neq; illic aurum indolem mutat. Treviris Apophtegmate 15. Verùm extra controversiam hoc esse videtur. Illud dubitationem utrum generis ac familiæ ratio in honoribus & officijs mandandis habenda. Et quidem quòd.

Rationes pro genere ac familia præstanti, vetusta, nobili.

RESPICIENDVM IN MAGIstratibus committendis ad genus ac familiam.

Ratio 1. à Naturæ vi ac effectu.

Probant quæ sequuntur: quia I. boni ex bonis ordine ac dispositione naturæ procreantur: simile sibi simile gignit. Aristot. lib. 1. Polit. cap. 8. Nec tantùm est præclarus ac magnificus thesaurus liberorum, parentum Virtus, nobilitas & gloria, si ea homines non abutantur, sed inest quoq; in illa vis admirabilis & occulta propagandæ Virtutis ac in stirpem derivandæ. Plato in Menexeno. Plutarchus de liberorum educatione.

Ratio 2. à conditione obscuro ac ignobili loco natorum.

Deinde ad Virtutis indolem plurimùm valet, esse aliquem bono nobiliq; loco natum: quòd qui generosa stirpe orti non sunt, simulare Virtutem eamq; constantem habere non possunt. Qui autem antiquo à semine bonorum genus ducunt, perpetua virtute pollent. Dio lib. 44. in oratione Antonij de laudibus Cæsaris. Rarò quoq; turpiter agunt, qui tali loco nati: quoniam majorum suorum laudem

Ratio 3. à contrarijs

secum

secum periclitari cernunt: quemadmodum parvam contrà jacturam illi faciunt cùm delinquunt, qui obscuris parentibus nati sunt, ipsi quoq; ignobiles. Patricius de Republica lib. 1. Tit. 4. Nihil esse turpius arbitrantur ei, qui aliquid se esse opinatur, & laudem affectat, quàm parentum & majorum gloriam dilapidare, & occasionem laudis quærere non ex seipso, sed majorum gloria. Plato in Menexeno. ingenijs ac moribus nobilium.

Huc accedit, quòd etiam levia delicta observari in nobilibus animadvertunt: quemadmodum gravius feruntur: sunt majori dedecore verrucæ in facie, quàm nævi alijs in membris quæ teguntur. Plutarchus in libello de Republica gerenda. Sunt præterea nobili loco laudis atq; gloriæ cupidi: à natura autem homines ita animati, ut bona illa, quæ ante habent, augere, non imminuere vel amittere cupiant. Aristoteles lib. 2. Rhetoric. capite 16. de Nobilium ingenijs ac moribus. Ratio 4. à metu offensionis acrehensionum.

Sed & illud considerandum est, facilius cum illustribus ac nobilibus, quàm novis & obscuris agi: quia hi non irascuntur parva ob delicta, obscuri ac novi succensent & puniunt graviter: quia dum ignoscunt alijs, suam imbecillitatem argui putant: dum puniunt graviter, potentiam suam demum intelligi & confirmari opinantur. Xiphilinus in Tiberio. Et asperius nihil est humili cùm surgit in altum. Exemplo sit Maximinus è pastore Imperator factus, qui crudelitatem summam exercuit Ratio 5. à comparatione nobilium & obscurorum.

cùm

cùm in alios, tum verò nobiles, quo suam ignobilitatem tegeret. Herodianus, Iulius Capitolinus.

Ratio 6. à dignitate ac splendore publico

Neq; illud contemnendum, quòd splendor ac majestas singularis Reipublicæ accedit: cùm ad gubernacula nobiles sedent, in quibus singularis virtus ac generis splendor lucet. Aristoteles Politicorum lib. 5. cap. 8. Et ut facilis sit gubernatio publica, tria requiruntur: sapientia, ne erretur: potentia, ut quæ decernuntur in actum producantur: & familia, ut contemptus tollatur, adsit authoritas. Simancha libro quinto, de Republica capite tertio, ex D. Thoma.

Ratio 7. ab exemplis Rerumpublicarum ac nationum diversarum.

Itaq; apud Spartanos, Athenienses, Corinthios istud more receptum fuit: ut penes certas familias, & quidem nobile regiæ dignitates, officia publca alia essent. Herodotus libro 5. Pausanias libro 1. de Spartanorum regibus, Strabo lib. 8. Dionysius libro 2 Plutarchus in Theseo. Ac leges Romuli inter alia hoc habent: sacra & Magistratus patres soli peragunto: plebei agros colunto. lege 2. 3. 4. Et Germani reges ac Magistratus suos elegerunt ex generis nobilitate: ut belli duces ex Virtute. Corn. Tacitus de moribus Germanorum. Non spectarunt corporis robur, ut Medi: non pedum perniciem, ut Lydi: non pulchritudinem, ut Indi: non divitias, ut Æthypes: non molem & obæsitatem corporis, ut Gordij. Alexander ab Alexandro lib. 4. capite 23. Et, ut rectè hæc sese habeant: ita.

NON

NON EXCLVDENDI PRORSVS ab honoribus ac Magistratu novi aut obscuro loco nati.

Rationes pro hominibus obscuris ac novis.

Ratio 1. ab exemplis.

Saul, patris sui asinas amissas quærens rex ungitur: pascens oves David. lib. Samuelis 1. cap. 10. & 16. Amasis, qui cùm apud Ægyptios pauper & obscurus ad regium culmen pervenisset, eoq; nomine contemneretur à suis, ex aureo vase, quod turpes ad usus servierat, Iovis symulachrum confecit, confectumq; collocavit in urbis eminentissimo loco. Quod, cùm religiosissimè coleretur, symulachrum ex eo conflatum esse dixit, in quo priùs pedes Ægyptij lavabant: nunc autem religiosissimè coli. Idem sibi contingere, qui priùs plebejus, nunc eorum rex esset. Herodotus lib. 2. Darius Hystaspis filius, Cyri pharetrophorus, rex post Persarum factus. Herodotus lib. 3. Andolobinus, qui hortulum colens, ab Alexandro verò Magno Sidonijs imperare jussus: hæ, inquit, manus satis ad victum fuerunt: nihil habenti nihil defuit. Sabellicus lib. 4. Themistocles, cujus obscurius genus fuit, quàm quod ad gloriam conferre aliquid posset. Plutarchus in ejus vita. Iphicrates, patre sutore natus, qui cùm generis illi ab Harmodio obscuritas objiceretur, meũ, respondit, à me ipso genus initium sumit: tuum autem in te desinit. Idem. Tullus Hostilius qui IV. Romanorum est rex pastor creatus; quòd operam præclaram adversus Sabinos navasset. Livius libro 1.

libro 1. Dionysius lib. 3. Florus lib. 1. Plinius de Viris Illustribus cap. 4. L. Tarquinius Priscus, Graeci Demarathi, mercatoris filius qui Romae rex est V. factus. Livius lib. 1. Dionysius lib. 3. Florus lib. 1. Plinius de Viris Illustribus cap. 6. Servius Tullius, qui Corniculani & Ocrisiae ancillae filius recte ac laudabiliter Romae imperium gubernavit. Livius lib. 1. Dionysius lib. 4. Florus lib. 1. Valerius Max. lib. 3. Plinius de Viris Illustribus cap. 7. Terentius Varro, lanij filius Consul Romae est factus. Valerius Max. ibid. Et M. Æmilius Scaurus, cujus pater, ob paupertatem, carbonarium negotium exercuit. Plinius de Viris Illustribus cap. 72. M. Porcius Cato, qui Thusculi, ignobili loco ignobilis ortus, optimus & Senator, & Imperator, & Orator est habitus. Plutarchus in ejus vita. Livius lib. 3. & 4. Plinius de Viris Illustribus cap. 47. Valerius Max. lib. 3. C. Marius, qui loco humili obscuroq; natus septies Romae Consul est factus: Iugurtham captum ante currum egit: Cymbros in Gallia, in Italia Theutonas vicit. Plutarchus in vita Marij, Florus lib. 3. Plinius de Viris Illustribus cap. 67. Valerius Max. lib. 2. pro se ac novitate & obscuritate familiae fortiter pugnat apud Salustium in bello Iugurthino. M. Tullius itidem homo novus in Consulatu multis alijs praelatus: patriae pater dictus. Plutarchus in ejus Vita. Ipse 2. Agraria & pro P. Sylla. Sed & Imperatores post non pauci sunt facti Romani, obscuro nati loco. Et Augusti proavus

restis

restis, avus argentarius fuit Suetonius. P. Ætij Pertinacis pater macator. Iulius Capitolinus. L. Septimius Severus ignobilis. Xiphilinus, Ælius Spartianus. Opimius Macrinus servus. Dion in Macrino. Max. Puppienus, qui patrem fabrum ferrarium habuit. Cuspinianus. Probus, qui nobiliore matre, quàm patre: patrimonio moderato: affinitate non magna, tam privatus, quàm Imperator nobilissimis virtutibus claruit. Flavius Vopiscus. Aurelianus obscuriore familia ortus. Idem, qui illud notatu dignum addit: non magnorum principum virtutibus summam sciendi esse: ubi quisq; genitus sit, sed qualis in Repub. fuerit. Diocletianus scribæ filius. Pomponius Lætus, Aurelius Victor. Galerius Maximinianus parentibus agrarijs prognatus, qui pastor primùm armentorum extitit. Cuspinianus. Iustinus Thrax, qui teneris ab annis suum ac boum custos, pòst lignarij cujusdam minister Imperator est factus. Zonaras. Pipinus Eremita ex Præfecto Prætorij rex Francorum creatus ob ignaviam Childerici Francorum regis. Ritius lib. 1. de regibus Francorum. Bamba ab aratro ad principatum evectus & electus in regem Hispaniarum. Idem lib. 2. regum Hispanicorum. Præmislaus rusticus Bohemorum rex factus. Cromerus lib. 2. Piastus agricultura & mellificio vitam sustentans Polonorum sceptrum obtinuit. Idem ibid. Agathocles Syracusanorum rex, cujus pater figulinam exercuit. Vnde in convivijs inter vasa aurea fictilia

quoq; adhibere solitus est: ut eodem tempore & paternæ obscuritatis, & magnitudinis, in quam ipse invaserat, species repræsentaretur. Iustinus lib. 12. Valerius Max. lib. 12. cap. 13. Villegisius, patre fabro plaustrorum natus ab Othone II. Imperatore ad Moguntinensem Archiepiscopatum & Electoratum evectus, omnibus in locis plaustri rotam depingi curavit cum hac inscriptione: Villegise quis sis, quis fueris memento. Mos inde obtinuit, ut rota hæc Archiepiscopo Meguntino pro insigni data, & ab Henrico II. confirmata fuerit. Bruschius.

Ratio 2. à more & judicio DEI.

DEVS enim, qui in altis habitat, humilia respicit: suscitans à terra inopem & de stercore pauperem erigens. Psalm. 112. Evehit ad honores ac dignitates Iosephum è carcere. Geneseos 41. Gedeonem frumenta purgantem Iud. 6. Danielem captivum. Danielis 8. Mardochæum. Esther 10.

Ratio 3. ab iis quæ in Magistratu legendo spectanda.

Est deinde in Magistratu legendo Virtutis maximè ratio habenda. Plato in Menexeno. Et, ut venator canem quærit, non id, quòd à cane natum sit: & rei equestri deditus, non quòd equo prognatum sit, sed equum spectat: ita longè à scopo aberrant, qui quærunt, non quis sit aliquis, sed ex quibus ortus sit. Plutarchus in vita Syllæ, Vopiscus in Aureliano. Neq; tam homines, quàm hominum actiones benè constituta Repub. considerandæ: et plurimum tribuendum: cujus in animo Virtus inest. Aristoteles Politicorum 3. cap. 8. Vellejus, Paterculus lib. 2.

Oritur

Oritur præterea, quo nihil utilius, amor ac benevolentia civium in Magistratus: cùm etiam tenuioris conditionis homines promoventur: excitatur Virtutis studium & diligentia in rebus peragendis. Idem ibid. Qui enim magnis nati in familijs sunt, commendatione majorum suorum virtutem promotam habent. Cicero pro Plancio. Omnia illis beneficia dormientibus deferuntur. Idem lib. 5. in Verrem. Si fortè deliquerint, majorum fortia facta: vetus nobilitas: cognatorum & affinium opes: multæ clientelæ præsidio adsunt. Salustius in oratione Marij ad Quirites. Novis contrà hominibus alia ratione vivendum est: quia alia infirma sunt: spes omnis in ipsis: quam necesse est Virtute ac innocentia tutari. Idem ibid. Et in his errato nulla venia: rectè facto exigua laus, & ab invitis expressa proponitur: non dubitanti fidele consilium: non laboranti certum subsidium ostenditur. Cicero 2. Agraria. Ratio 4. à cõmodis.

Accedit huc, quòd qui præter genus nihil habent, non Virtute præditi: tincti doctrina sunt ad gubernacula adhibiti non plus prosunt, quàm obsoniorum fumus inanis ad corpus nutriendum prodest, qui tantùm nares provocat. Trevirus apophtegmate 126. Imò sæpè imaginum majorum beneficijs præfecti, bello ignari omnium tales trepidant, & aliquem ex populo quærunt sui officij monitorem. Atq; ita fit, ut qui imperare jubetur sibi Imperatorem alium quærat. Salustius in Oratione Marij. Ratio 5. ab incommodis.

Ratio 6. à παρεκβάσει filiorum & posterorũ magnorũ Virorum.

Vt nihil de eo nunc dicatur: quòd multi sunt degeneres, & naturæ quasi monstra, liberorum tantùm numerum complent. Seneca ad Martium Epist. 12. Et generosissimarum imaginum fœtus in aliquod dedecus devoluunt: lucem à majoribus acceptam in tenebras convertunt. Valerius Max. lib. 3. Vnde proverbium Heroum filij noxæ. Erasmus in proverbijs Chiliad. 1. Centuria 6. proverbio 52. Disserit hac de re Ælius Spartianus, & neminem propè magnorum Virorum optimum & utilem filium reliquisse ostendit. Aut sine liberis Viri, inquit, interierunt, aut tales habuerunt pleriq;, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Et, ut ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit: nihil Numa Pompilius, quod utile esse posset Reipub. Quid Camillus? num sui similes habuit? Quid Scipio, quid Catones qui magni fuerunt? Quid de Cæsare? quid de Tullio loquar, cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptivum bonum filium habuit, cùm illi eligendi fuisset potestas ex omnibus. Falsus est etiam ipse Trajanus in suo municipe ac nepote diligendo. Quid Marco felicius fuisset, si Commodum hæredem non reliquisset? Quid Severo Septimio, si Bassianum non genuisset: qui fratrem Getam in matris sinu occidit: qui novercam, quinimo matrem uxorem duxit: qui Papinianum Iuris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, quòd parricidium excusare nollet interemit. In Severo. Sed

Exempla degenerũ.

extite-

extiterunt degeneres multi alij. Rexit summa cum laude Israeliticum populum Moses: at in Eliesere & Gersa filijs nihil laude dignum fuit, ideoq; in Hebræorum historia de ijs nisi perexigua, ut de abjectis mos est, mentio facta. Fulgosus lib 3. cap. 3. Magnus Athenienſi in Repub. ac potens Pericles fuit: at ſtupidi filij Paralus & Xanthippus. Plato in Alcibiade priore. Quantum Germanicus animi vigore, prudentia, morum honeſtate præſtitit: tantum Caligula filius ejus ignavia, libidinibus ſtultitia ab eo degeneravit. Suetonius. Valerianus imperator omnibus virtutibus præditus Galienum filium reliquit, qui propter inſignem ignaviam ac mollitiem triginta tyrannis imperij invadendi occaſionem dedit. Trebellius Pollio. Caroli Magni magna in liberis inſtituendis cura fuit: ſed eventus diſpar extitit: filij patri diſſimiles, excepto Ludovico Pio. Aventinus libro quarto, Æmylius lib. ſecundo. Henricus II. Imp. laudatiſſimus: at filium Henricum III. reliquit, à paternis virtutibus prorſus degenerem. Egnatius lib. 3. Et oſtendit Ariſtoteles fortium & animoſorum filios, cùm deficiunt & παρέκβασιν faciunt, temulentos, prodigos, crudeles, furioſos evadere: ut Alcibiadis & Dionyſij: gravium verò ac doctorum, ignavos ſimplices, bardos, aſininis ingenijs præditos: ut Socratis & Hippocratis. lib. 2. Rhetoricorum cap 15. de Nobilium moribus & ingenijs. Fiunt autem παρεκβάσεις digreſsiones tales, vel fato, ut Demoſtheni Cauſæ cur degeneres

multi: heroum filij noxæ.

placet: vel educationc indulgenti, apud magnos, qui φιλοσοφίᾳ ardentiore utuntur: vel institutione negligenti apud publicis negotijs occupatos, ut Plutarchus in libello περὶ παιδῶν ἀγωγῆς censet. Vel naturali rerum omnium inconstantia ac mutatione in deterius, ut Aristoteles in loco antè notato docet allata similitudine ab agris sumpta: quòd, ut in agris interdum magna frugum φορᾷ ubertas ac copia, interdum ἀυχμὸς penuria & egestas est: ita in familijs nonnunquam magnorum Virorum quasi copia & ubertas: interdum verò penuria exoritur: Viris claris ac bonis improbi ac nullius pretij homines succedunt.

Vt respondendum ijs qui solis majorũ ac parentũ meritis nituntur.

Itaq; cùm majorum ac parentum suorum solis quis rebus gestis meritisq; fretus, honores ac officia petit, respondendum quod Antigonus II. adolescenti cuidam respondit: qui patris fortis ipse non fortis stipendium petijt: ὁ πατρογαθὴς, ἀλλ' ἀνδρογαθὴς ἔνεκα, non ob patrias, sed proprias cujusq; viri virtutes, mercedem ac munera dare soleo. Plutarchus in Apophtegm. Cùm veteris prosapiæ multarumq; imaginum homines in obscuris Virtutem despiciunt, dicendum quod apud Salustium Marius dicit: tales semetipsos ac majores suos despicere: quibus non minus ab ipsis ex virtute aliquando nobilitas cepit. In bello Iugurthino. Et quod Cicero pro L. Murœna habet. Ejusdem animi ac ingenij est: posteris suis amplitudinem nominis, quam non acceperis tradere: & memoriam

Obscuri ac novi quibus rationibus defendendi.

propè

propè intermortuam generis sui virtute renovare. Et pro Plancio, ubi gradus exponuntur, quibus ad honorum conscendendum culmen est, cùm equidem semper, inquit, laboravi primò, ut honore dignus essem: secundò ut existimarer: tertium mihi fuit illud, quod plerisq; primum est, ipse honos.

QVAESTIO XVII.

VTRVM IN HONORIBVS AC Magistratibus mandandis opes & facultates spectandæ?

QVæri, nec incommodè quoq; solet: utrum in mandandis honoribus ac officijs publicis, etiam facultates ac divitiæ sint considerandæ: opulenti egenis anteponendi. Et quidem.

SATIVS ESSE VIDETVR DIVItibus quàm pauperibus Magistratus committi.

Rationes pro divitibus contra pauperes.

Quia res ac pecunia obsidis & pignoris est loco apud Rempub & amoris in patriam: fides in hac ipsa & fundamentum olim erat. Gellius lib. 16. cap. 10. Et qui bene rebus suis consulunt, etiam publicis prospecturos verisimile est: ut contrà qui sibi malus est, alijs bonus neutiquam erit: nec diligentiam ac prudentiam in Repub. adhibebit, qui domui suæ præesse nescit. Isocrates ad Demonicum & de Pace, Æschines in Timarchum & Ctesiphontem. Neq; enim tales ingeniũ & animum, sed locum

Ratio 1. à cõmodis

tantùm mutant. Æschines contra Ctesiphontem. Nec nisi multitudine ac magnitudine rerum privatarum cura à Reipub. gubernatione differt: aut quicquam aliud est regnum, vel civitas, quàm magna familia, & vicissim domus, quàm parva quædam Respub. Xenophon lib. 3. de dictis ac factis Socratis.

Ratio 2. à cõditione divitum.

Sunt præterea divites rerum experientia instructi meliùs quàm pauperes, quia non domi, ut pauperes delitescunt, sed in luce vivunt. Aristoteles lib. Politicorum 2. cap. 7. Domesticis negotijs minus, ut pauperes impediti, diligentiam majorem in rebus publicis tractandis adhibent. Isocrates in Nicocle. Cumq; in Magistratu non tantùm amor subditorum, sed etiam potentia requiratur, hanc ad rem divitiæ plurimùm commodant. Arist. Polit. 5. cap. 9. Faciunt ut magnificentiùs sese homines gerant: minus circumagantur pretijs & affectibus. Livius lib. 1. Aristot. Polit. 2. cap. 7. & in hunc Casus, Æmylius lib. 1. Vt contrà onus grave:

Ratio 3. ab incõmodis paupertatis:

morbus Reipub. magnus parpertas. Plutarchus in Lycurgo. Res perniciosa in imperante tenuitas: animal periculosissimum, rex pauper. Simanca lib. 3. de Repub. cap. 15. ex Cassiodori lib. 11. variarum. Eò egestas impellit: ut munera capiantur, quæ sapientum oculos excæcant: verba justorum subvertunt. Deut. 16. Idcoq; mortis illud pœna dignum vitium indicatur. Plato lib. 12. de legibus Damnatur etiam à legib. civilibus, quæ requiruntur: ut qui præsides

præsides sunt gentium, civiles administrationes habent provinciarum, puris utantur manibus, & ab omni acceptione pro illis abstineant, solis ijs contenti, quæ à fisco dantur. Novell. Const. 8. Contemptum adhæc parit: qui Magistratui perniciosus est. Vnde Phormio Atheniensis vir bene moratus, sed malè nummatus, classi præfectus, imperium recusavit, quòd diceret: pauperem se & obæratum, nec authoritatis satis apud milites, nec mentis ad cogitandum habiturum. Pausanias in Atticis. In causa insuper est: ut timidè cuncta agantur. Neq; enim audent pertusa dicere læva homines. Iuvenalis Satyra 7. verùm ligatam linguam habent. Plutarchus de audiendis Poëtis. Vitiorum ac flagitiorum faces accendit: libidini rerum nefandarum stimulos admovet. Plato lib. 4. de Repub. Iubet quidvis & facere & pati, virtutisq; viam deserit arduam. Horatius lib. 3. Carminum Oda 24.

Et habuit David rex Iudæorum argenti mille millia talentum, id est decies centena millia, & auri centum millia, quæ mille millia talenta argenti valent. Etiam Salomonis immensæ opes fuerunt: fecit idem, ut tanta esset auri argentiq; copia in Hierusalem, quanta & lapidum. lib. 3. Regum cap. 10. Aurelianus Imp. factus, cùm Magnates interrogaret, quo pacto imperandum esset, responsum tulit: AVRO ac FERRO munitum eum esse oportere: illo apud amicos: hoc apud hostes Zonaras in Aureliano. Carthaginenses non optimos Ratio 4. ab exemplis.

solùm, sed & ditißimos censuerunt magistratibus admovendos: quòd arbitrarentur fieri non posse, eum qui egestate premeretur, rectè syncereq; magistratum gerere aut quietem optare. Cælius lib. 20. cap. 24.

Ratio 5. à Censu, qui in Magistratu observatur.

Etiam Census apud Romanos in Senatore ac Magistratu laudatus fuit: ne splendor ordinis amplißimi rei familiaris angustijs obscuraretur. Sigonius de antiquo jure civium Rom. lib. 2. cap. 2. Et ante Augustum census senatorius fuit sestertius octingenta millia qui auctus pòst fuit. Quin etiam si posteaquam lectus esset Senator, censum labefactasset, ordinem amittebat. Idem, Alexander lib. 4. cap. 11. Et laudatur Tiberius, qui præterquam quòd censum Senatorium juvit, & honestatem paupertatem sublevavit innocentium. Cornelius Tac. lib. 2. Vt & Nero, qui Senatoribus tenui familiari in re constitutis, annua salaria constituit. Alexander lib. 4. cap. 11. Suetonius in vita Neronis. In Athenienſi quoq; Repub. Solon ex censu Magistratus quingentorum modiorum & jugerum constituit. Plutarchus in Aristide, ac Solone. Thebanorum quoq; lex fuit: ut mercenarij annos decem à foro abstinerent, suisq; acquisitis bonis honestè vivercnt, antequam ad Magistratum admitterentur. Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 3. Val. Max. lib. 4. cap. 4. Cæteris ergo paribus in Magistratibus constituendis divitiarum ratio habenda: interim.

PAVPE-

PAVPERES NON EXCLVDENDI prorsus ab honoribus & Magistratibus.

Rationes pro Pauperibus.

Thebanorum enim Imperator clarissimus Epaminondas tam pauper fuit, ut unicam tantùm vestem haberet: quæ cùm resarcienda esset, domi est manere coactus. Plutarchus in Epaminonda. Aristides Athenienſis adeò pauper perijt: ut domestico sumptu funerari non potuerit: filiæ paternæ virtutis causa, publico ære sint matrimonio locatæ. Plutarchus in Aristide. Lamachus Alcibiadis ac Niciæ Collega, Vir fortis ita inops ac tenuis extitit: ut quoties dux electus ab Athenienſibus esset, necesse haberet exiguum pecuniolæ in vestem ac crepidas expensum ferre. Plutarchus in Nicia. Et apud Romanos.

Ratio 1. ab exēplis eorū qui pauperes Magistratus gesserunt.

Pauper erat Curius reges cùm vinceret armis:
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm sperneret aurū:
Sordida Serranus flexit dictator arena.

Cn. Scipio post res prosperè feliciterq; in Hispania gestas summa in paupertate decessit: ita ut filias publicè Senatus ob inopiam dotaret. Frontinus lib. 4. L. Æmylius Paulus ad tantam paupertatem pervenit, ut, eo mortuo, dos uxori, nisi divenditis bonis, exolui non potuerit. Plutarchus in Æmylio, Plinius de Viris Illustrib. cap. 56. Valerius Max. lib. 4. cap. 3. Ladislaus II. Vngariæ rex in eas angustias rei familiaris venit, ut interdum mensæ quod apponeret non haberet. Sambucus in Appendice Bonfinij.

Ac sanè

Ratio 2. à commodis paupertatis.

Ac sanè paupertas per se turpis non est, nisi sit indicium socordiæ, intemperantiæ, prodigalitatis: viro temperanti, laborioso, justo, forti & qui omnibus virtutibus præditus in publico versatur, paupertas magni animi testimonium præbet: cùm non posßit magnas res gerere qui parvas curat. Plutarchus in Aristide. Est mater industriæ: experiri multa homines docet: imò omnes artes perdocet. Plautus in Sticho.

Ratio 3. ab ijs quæ in Magistratu ac dignitate spectanda.

Neq; quicquam absurdius ac pernicioßius est, quàm dignitatem quæstu, ordinem pretijs metiri: cùm sæpè aut furtis & rapinis, aut casu quodam fortunæ dentur & eripiantur. Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 8. Neq; ars sordida: sed mens: non facultas, sed virtus: non adjumenta fortunæ, sed ornamenta animi in electione spectanda. Aristoteles Polit. 3. cap. 3. Casus ibid. Et sæpe etiam olitor, secundum proverbium, valde est opportuna locutus: summa ingenia in occulto latent. Plautus in Capt. Erasmus in proverbijs Chiliad. 1. Centuria 6. proverbio 1. Quemadmodum rursus sæpe reges, civitates, nationes per opulentiam magna imperia amiserunt, quæ per Virtutem inopes cœperant. Sallustius in fragmentis.

Ratio 4. à malis & incõmodis quæ oriuntur, cùm solæ divi-

Neq; id mirum videri debet: Siquidem ubi bonus deteriorem divitijs magis charum magisq; acceptum videt: primò æstuat multaq; in pectore volvit. Sed ubi gloria honorem magis, indies Virtutem opulentia vincit, animus ad voluptatem à vero deficit:

deficit: quippe gloria industria alitur: ubi eam dempseris, ipsa per se Virtus amara & aspera est. Idem ibid. Negligentiam præterea opes ac divitiæ pariunt, pereundi perdendiq; omnia desiderium per luxum & libidinem invehunt. Livius libro 1. His qui abundant, insolentes redduntur: imò ex insolentibus insani fiunt: tyranni evadunt, qui populum, ut leones prædam faciunt, ejus frangunt vires. Aristoteles Polit. 3. cap. 7. Casus ibid.

tiæ spectandum.

Itaq; Plato operam esse dandam monet, ut qui utiliter ac decenter Magistratu fungi debent, sint divites bonis animi, justitiæ, sapientiæ, pietatis auro abundent. lib. 7. de Repub. Et queritur Plinius, quòd Census Magistratus ac equites faciat: cùm sit sanctius & utilius inquirere, non quale matrimonium habeat Magistratus, sed cujus existimationis sit, & quomodo anteactam vitam transegerit. lib. 14.

Ratio 5. à testimonijs & authoritate Platonis & Plinij.

QVAESTIO XVIII.

VTRVM ERVDITIO AC DOctrina in Magistratibus & officijs publicis consideranda?

QVemadmodum verò allata hactenus moveri sæpè solent, cùm Magistratus eligendi: concedendæ dignitates: demandanda officia sunt: ita & illud non rarò in quæstionem venit: Vtrum eruditionis ac doctrinæ sit ratio habenda. Et quidem, quòd.

ERVDI-

ERVDITIO ET DOCTRINA minimè in Magistratu ac officijs publicis spectanda.

Rationes contra Eruditionem ac doctrinam.

Ratio 1. ab incommodis.

Probant quæ sequuntur: quod doctos alere Consiliarios Principes ac Magistratus possunt: imperitia deinde cum modestia conjuncta utilior esse videtur peritia ac doctrina, quæ adjunctam immodestiam habet: qui imperiti sunt, imbecillitate sua agnita, legibus simpliciter obtemperant: judicant ex æquo ac bono: periti & docti legibus sæpe sapientiores videri: suam in consultationib. prævalere sententiam cupiunt. Thucyd. lib. 3. in Cleonis Oratione. Et, *Symboli loco Imp. Licinius illud usurpare est solitus: Pestes Reipub literæ. Eutropius.* Et *Gothi negarunt literas discendas ei esse, qui inter enses ac hastas versari aliquando debeat. Macrobius lib. 1. de bello Gothico.* Et *Ludovicus XI. Carolum VIII. Gallorum regem filium latinè scire quicquam vetuit, præter illud unum: qui nescit simulare, nescit regnare. Æmylius lib. 10.*

Ratio 2. ab authoritate & exemplis.

Ratio 3. ab exēplis eorum, qui docti malè magistratus gesserunt.

Accedit huc quòd docti ac literati multi malè Imperijs ac Rebuspub. præfuerunt: egerunt tyrannicè: aut literis dediti nimis, easdem neglexerunt. Testes sunt: Arisson, qui Epicureæ disciplinæ præceptis imbutus egregiè, subita vi patriam adortus, apertam tyrannidem exercuit. Critias, & qui cum eo sunt Athenis philosophati, tyranni extiterunt: Pythagoras multò crudeliùs, quàm qui literarum

ignari fuerunt, in alienam libertatem est grassatus. Sabellicus lib. 3. Ennead. 6. Fuit quoq; Tiberius Imperator doctus: sed ingenio moribusq; peculiaribus rarisq;: injustitia, avaritia, audacia, ignavia, vitijs alijs pollutus, quæ Dio Nicæus lib. 58. & 59. recenset: & Tacitus lib. Annalium 2. 3. 4. 5. & 6. & Suetonius in Tiberio. Claudius Imp. qui disciplinis liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac sæpè experimenta cujusq; etiam publicavit. Verùm nullam inde sui de se præbere commodiorem potuit: omnis generis maleficijs ac sceleribus deditus. Suetonius in Claudio, Cornel. Tacitus lib. Annalium 12. Nero, qui à Seneca Philosopho institutus, pessimè vixit. Dio Nicæus, Tacitus lib. 11. Suetonius in Nerone. Gallienus, qui oratione, poëmate atq; omnibus artibus claruit: tam inter Poëtas, quàm Rhetores sui temporis emicuit: at prodigiosus Imperator, genio suo indulsit: maximum Romano Imperio damnum dedit: cladium plurimarum author causaq; extitit. Trebellius Pollio. Michaël Parapinaceus Imperator, Poëta, Orator, Historicus minimè contemnendus, sed Reipub. prorsus inutilis. Cuspinianus. Theodorus Gothorum rex doctissimus, sed ad Rempub gerendam ignavissimus. Ioannes Magnus lib. 10. Verùm hæc literas earundemq; cultum non everunt: quodq;.

ERVDI-

Rationes pro eruditione ac doctrina:

ERVDITIO AC DOCTRINA in Magistratu & officijs publicis probanda.

Inde colligitur: quòd I. apud Persas rex fieri nemo potuit, nisi qui Magorum imbutus disciplina esset: Romani, cùm Imperator aliquando quæreretur, quis, acclamarunt, melius quàm literatus imperat? Vopiscus in Tacito. Et Numa II. Romanorum rex philosophatus egregiè est. Plutarchus in Numa. Annum XII. in menses distribuit: leges quoq; tulit pulcherrimas & utilissimas. Plinius de Viris Illustribus cap. 3. C. Iulius Cæsar, quàm fuerit doctus, cùm alia probant, tùm rerum gestarum in Gallico & civili bello libri scripti ac editi. Suetonius in Cæsare. Cæsar Augustus, qui studia liberalia laboriosissimè exercuit: etiam Mutinensi in expeditione & legit, & scripsit, & declamitavit quotidie. Dio. lib. 51. Suetonius in Augusto. Germanicus, qui Græcas Comœdias & Epigrammata scripsit: causas oravit etiam triumphales Suetonius. Titus, cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani, qui Latinæ Græcæq; linguæ, vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus & facilis ad extemporalitatem usq;: sed ne Musicæ quidem rudis: ut qui cantaret & psalleret jucundè scienterq;. Suetonius. Adrianus, qui Græcis literis sic studuit, ut à nonnullis Græculus diceretur: poëmatum, & literarum omnium studiosissimus,

Ratio 1. ab authoritate & exemplis.

Arithme-

Arithmeticæ, Geometriæ peritißimus fuit. Ælius Spartianus in Adriano. M. Antoninus Philoſophus, in quo tantum Philoſophiæ ſtudium extitit: ut adſcitus jam Imperatoriam ad dignitatem, tamen ad domum Apollonij diſcendi cauſa veniret: tantum operis & laboris ſtudijs impendit: ut corpus afficeret, atq; in hoc ſolo pueritia ejus reprehenderetur. Iulius Capitolinus in M. Antonino Philoſopho. Severus qui Latinis Græciſq; literis imbutus egregiè fuit: 18. ætatis anno publicè declamavit. Ælius Spart. in Severo. Alexander Severus Mammeæ filius, qui à pueritia prima artibus bonis imbutus, tam civilibus, quàm militaribus, ne unum quidem diem ſponte ſua tranſire paſſus eſt, quo ſe non & ad literas, & ad militiam exerceret. Ælius Lampridius in Alexandro Severo. Conſtantinus Magnus qui ex literis non ornatum tantùm, verùm etiam fructum maximum cepit. P. Diaconus. Theodoſius Major princeps optimus ac doctißimus. Idem. Carolus Magnus linguarum multarum peritia clarus. Æmylius lib. 3. Sigebertus, Sigonius lib. 4. de regno Italiæ. Fridericus II. Imp. Latinam, Græcam, Saracenicam, Gallicam & Germanicam linguam optimè calluit: quicquid habuit otij librorum lectioni tribuit. Sigonius lib. 16. Cuſpinianus. Alphonſus ſenior Calabriæ dux, qui nunquam ſine libris in expeditionem proficiſcebatur: ex quibus magno ſuo cum fructu longè melius præſtantißimorum virorum virtutem ſe cognoſcere poſſe affir-

mabat, quàm ex mutis magistris. Pontanus in lib. de Principe. Alphonsus Aragonum & Siciliæ rex potentißimus, qui dicere est solitus: malle sese privatum vivere, quàm eruditione carere: commentarios Cæsaris in omnibus expeditionibus secum habuit: librum apertum pro suo insigni gessit. Panormita de rebus ejus gestis. Ladislaus rex Vngariæ ac Boëmiæ, qui quamvis adhuc puer, cùm esset Romæ, non videri sibi ajebat homines, qui literas ignorarent. Æneas Sylvius libro tertio.

Ratio 2. à cõditione Magistratus.

Et quemnam plura ac meliora scire oportet, quàm principem & Magistratum: cujus doctrina omnibus subjectis profutura est? Vegetius de re militari in proœmio lib. 1. Cujus magnum ac difficile munus, cura ingens, & quæ magnis autoribus eget. Plato lib. 2. & 7. de Repub. Vellejus Paterculus lib. 2. Lipsius lib. Politic. 3. capite secundo.

Ratio 3. à lege naturæ.

Ac sanè natura hoc requirit: ut melioribus & potentioribus deteriora submittantur. Ita scilicet multis gregibus, aut maxima corpora præsunt, aut velocißima: non degener taurus armenta præcedit: sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vincit: Elephantorum gregem excellentißimus ducit: inter homines pro summo est optimus, ac rector animo eligendus. Seneca lib. 13. Epist.

Ratio 4. à turpi.

Epistola 90. Neq; qui doctrina tincti non sunt, multum dißimiles statuis ac colossis esse videntur, qui honestam præ se foris speciem ferunt: intus verò pleni, plumbo, lapide, terra sunt. Plutarchus ad principem indoctum.

Neq;

Neq; ad vitam solùm instituendam literæ conducunt; verùm etiam necessariæ sunt ad consultandum: consilia utilia ad Rempub. capessendam suppeditant. Plutarchus in Coriolano. Estq; laudis fundamentum doctrina: fons veræ felicitatis, & ut laurus perpetuò viret: ita eruditionis fama non marcescit. Plato lib. 6. de Repub. Plinius lib. 15. cap. 30. Vt inscitia contrà omnium in Repub. miseriarum ac calamitatum causa est. Idem lib. 5. de Repub. & Epistola 7. Pontanus de Principe & lib. 5. de Obedientia. Ac, ut necesse est ante omnia regulam rectam esse, ut ea, quibus applicatur, ad rectitudinem perducantur: ita Principem ac Magistratum oportet ipsum rectè constitutum esse: cùm sit cadentis erigere: incomposiți componere: inordinati ordinare Plutarchus ad Principem indoctum. Ratio 5. ab utilitate & cõmodis eruditionis ac doctrinæ.

Quemadmodum etiam vestium magnificentia ac splendor requiritur, ut cæteris hominibus Principes ac Magistratibus præstent: ita hoc flagitatur: ut ijdem doctrina atq; eloquentia alijs antecellant: quandoquidem longè pulchrius est magisq; regium bene constituto animo esse, quàm corpus pulchris vestibus ornatum habere. Aristotcles in Rhet. ad Alexandrum cap 2. Ac, licet Virtus à natura quosdam impetus sumat: tamen perficienda doctrina est: & si ad naturam eximiam eruditio accesserit, tum demum singulare quid existere solet. Cic. pro Archia Poëta. Ratio 6. ab honesto. Ratio 7. à perfectione naturæ.

Ratio 8. à necessitate.

Neq; istud silentio obruendum quòd magna ingenia, nisi rectè instituta, imbuta literis fuerint, quæ mores emolliunt, tantò deteriora evadunt, quantò in illis majores igniculi extiterint. Plato 6. de Repub. Neq; admonere talia ingenia aut reprehendere amici audent. Vnde illud dictum: nihil nisi equitare rectè potentes discere: quòd equi nullam sessorum rationem habeant: æquè Principem atq; alium equitandi imperitum excutiant. Plutarchus ad Principem indoctum.

Objectio de Consiliarijs refutatur.

Ac licet consiliarios habeant doctos & prudentes Principes & Magistratus: tamen misera prudentia est, quæ ex alieno arbitrio pendet. Herespachius de Principum educatione cap. 12. Quin & prudentiæ magnæ est, aliorum consilijs ac sententijs obtemperare velle. Et tres infelices in lege leguntur: qui scit & non interrogat. Beda. Testes Athenienses sunt, qui quamvis monente Solone, Pisistrato stipatores concesserunt: quibus ille fretus Tyrannidem occupavit. Plut. in Solone. Et Cyrus, qui Crœso dissuadenti expeditionem contra Tamyrin Massagetarum reginam, imperandi libidine accensus non obtemperavit, neq; verum esse credidit, quod discere eum idem jussit: Circulum esse rerum humanarum qui rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinat. Herodotus libro 1. Et Xerxes, qui Demarato Spartano paruisset, Græciam totam sine negotio subegisset. Herodotus lib. 7. Nec idem superatus ad Salaminem turpissimè fuisset, si

Artemisio

Artemisiæ Cariæ reginæ locum consilijs dedisset, quæ suasit, ne in loco angusto cum Græcis in re nautica exercitatissimis certaret. Herodotus lib. 8. Nec Mardonius dux Xerxis cùm triginta hominum millibus vitam amisisset, si Thebanis morem gessisset, qui, cùm à Xerxis partibus starent, suadebant in Thessalia manendum, & missa pecunia, Græcos ad factiones ac seditiones sollicitandos esse. Herodotus lib. 9. Nec exercitum apud Coroneam Tolmis dux Athenienſium, si Periclem audivisset, qui pro concione eum oravit, ut, si Pericli non crederet: non tamen erraturum ipsum, si prudentissimum Consiliarium operiretur, TEMPVS. *Plutarchus in Pericle. Sed & illud non vulgaris prudentiæ est, rectè judicare, qui bene aut perperam consulant aut dicant aliquid. Exemplo sint Claudius & Sergius Galba Impp. qui abutendos sese tradiderunt suis, nec judicare de consilijs eorum potuerunt. Suetonius. Et Nero, qui Consiliariorum suorum instinctu multa contra dignitatem suam fecit. Xiphilinus in Nerone. Ac de Athenienſibus Anacharsis dixit: sapientes in concionibus sententiam apud Græcos dicere: stultos verò judicare. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 11. Nec* DEVS *etiam punire magis populum potest, quàm cùm Principes ac Magistratus stolidos ac imperitos præficit. Quia enim tales toti ab aliorum arbitrio pendent, nec per se ipsi quicquam gerunt, nascuntur factiones: dividitur populus: dividitur Senatus: dividuntur*

regni procores: oriuntur demum bella. Cominæus lib. 3. Fit quod dici proverbio solet, ut rege cervo leones vincantur. Æmylius libro secundo.

QVAESTIO XIX.
VTRVM ELOQVENS VT SIT Magistratus necessarium.

VT eruditio ac doctrina magnum & adjumentum, & ornamentum Reipub. gubernatori affert: ita eidem dicendi plurimum vis ac facultas prodest, licet sint contrarium qui statuant: & quod.

NON DESIDERETVR IN PRINcipe ac Magistratu Eloquentia.

Rationes contra Eloquentiam.

Ratio 1. ab inutili ac supervacaneo.

Probare conentur his rationibus: quia I. *Mores dicentis persuadere solent, non oratio:* τρόπος ἐστὶν ὁ πείθων & λέγοντος ὁ λόγος. *Scaurus talis apud Romanos fuisse dicitur, ut naturalis quædam gravitas & authoritas in eo deprehenderetur: ut non causam, sed testimonium dicere videretur cùm pro reo diceret. Deinde Oratio videtur, quò magis ad ornatum est ac ostentationem compósita, eò à veritate abesse longiùs putatur. Plato in Axiocho. Tum & Aristoteles in Politicis affirmat: Democratias plurimas in tyrannidem sæpenumerò esse mutatas per blandos populi ductores. lib. 5. Politic. cap. 6. Ac sanè plura detrimenta publicis rebus, quàm adjumenta importare Eloquentia consuevit: eripit pœnis scelestos: damnat bonos: in pejus consilia*

Ratio 2. à damno.

ducit:

ducit: non seditiones modò turbasq; populares, sed bella etiam inexpiabilia excitat. Aristotel. 1. Rhet. cap. 1. Cicero 1. de Inventione, 1. de Oratore, Quintilianus lib. 2. cap. 17. Ita Pisistratus Athenis Eloquentia sua tyrannidem occupavit, frustra resistente Solone. Plutarchus in Solone, Iustinus lib. 2. Et Alcibiades non mediocris orator, inquietus fuit, & ad res multas novas fenestram aperuit. Plutarchus in Nicia. Et Theramenes, qui triginta tyrannos Athenis constituit. Suidas. Et Ephialtes, qui Athenis Senatus Areopagi potentiam fregit, civibusq; affatim, ut Plato lib. de Repub. 8. scribit, meram libertatem propinavit, qua, instar equi luxuriantis, postea desijt populus principes ac Magistratus suos audire. Plutarchus in Pericle. Apud Romanos quoq; Tribuni plebis, homines seditiosi ac turbulenti, plerunq; Eloquentia valuerunt: Tiberius & Cajus Grachi, L. Saturninus. Cicero lib. 1. de Inventione & in Bruto.

Ratio 3. ab exemplis eorum, qui Eloquentia sua Reipub. nocuerunt.

Itaq; Eloquentes aversati sunt: ipsam Eloquentiam fugerunt bene constitutæ Respub. Lycurgi instituto Spartana in Repub. jubebantur pueri Oratione uti, quæ vel conditum venustate haberet, & multum sensus paucis in verbis. Plutarchus in vita Lycurgi. Ejectus ibidem Ctesiphon fuit, qui se profitebatur quavis de re diem totum dicere posse. Plutarchus in Apophteg. Laconicis. Athenis Oratores ἀνὰ πρόσωπον καὶ παθῶν dicere jubebantur. Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 2.

Ratio 4. a judicio illorum, qui Eloquentes ipsam-q; Eloquentiam odio prosecuti sunt.

Romæ olim Rhetores urbe ejecti fuerunt: C. Fannio Strabone, & M. Valerio Messala Consulibus. Suetonius de claris Oratoribus. Verùm hæc omnia non obstant, quo minus dicendi necessaria facultas sit: sed contrà quòd.

Rationes pro Eloquentia.

ELOQVENTIA MAXIME IN Principe ac Magistratu desideretur.

Ratio 1. à cõditione Magistratuũ diversa ab alijs hominibus.

Ostendunt quæ sequuntur: quia I. dissimilitudo magna Magistratum & aliorum. Qui navim gubernant, munus remigum regendorum alijs committere possunt: & suos habent famulos opifices, qui etiam absentibus Magistris opus suum peragunt & perficiunt. Diversa Magistratuum est ratio, qui opus duobus habent: νῷ κυβερνῶντι καὶ λόγῳ ἐγκελευομένῳ, *mente gubernatrice in seipsis: & oratione jubente ac mandante alijs, quid faciendum aut omittendum sit. Plutarchus de gerenda Repub.*

Ratio 2. à cõditione populi, qui Magistratui tractãdus.

Deinde Magistratus tractant populum admodum insolentem, delicatum, contumacem, non obedientem in omnibus: ideoq; necesse habent verbis & oratione multa fingere ac conformare: non pauca, quæ impedimento sunt, velut nodos quosdam in ligno, aut abscessus in ferro mollire ac lævigare. Idem ibid. Tum nec melius tractari populus, & in officio contineri, quàm Eloquentia potest. Neq; enim, nisi auribus hic ducitur, hoc est diserta

oratione

oratione, auribus percepta: & qui eum non auribus, sed ventre, id est, epulis ac convivijs, vel marsupio, largitionibus scilicet & donis pertrahere cupiunt, hallucinantur.

Est enim ratio ista ἄμουσος primò & ἄπειρος, caret arte ac elegantia: etiam rustici atq; agrestes homines uti hac possunt. Deinde eandē qui adhibent, potius δημοκοπεῖν, quàm δημαγωγεῖν, quasi resecare populum quàm ejusdem gratiam colligere videntur. Sed & nihil tales ab ijs differunt, qui bestias tractant: quòd bestiæ quoq; cicurantur ac mansuetæ omnis generis cibarijs fiunt. Plutarchus de gerenda Repub. Ratio 3. ab incōmodis diversæ populi tractationis.

Sunt præterea vires Eloquentiæ multæ ac magnæ: veritatem ac justitiam defendit: leges, judicia, jura describit: hominum tenet cœtus: mentes allicit: voluntates, quò vult impellit: languentem populum incitat, effrenatum regit ac moderatur: seditiones aut antevertit, aut sedat ac tollit. Ratio 4. à vi & efficacia Eloquentiæ.

Testes sunt: Theseus, qui ex agris Athenienſium populum Eloquentia compulit. Pausanias in Atticis. Solon, qui ad bellum suscipiendum & repetendam Salaminem Athenienses Oratione animavit. Plutarchus in Solone. Themistocles, qui persuasit Athenienſibus, ut annuos reditus argentifodinarum, qui viritim quotannis inter populum distribuebatur, ad ædificandam classem transferrent. Plutarchus in Themistocle. Pericles, qui Athenienſium Rempublicam suo arbitrio egit ac versavit. Ratio 5. ab exemplis qui principes ac Magistratus Eloquentes extiterūt.

Idem in Pericle, Cicero in Bruto. Demosthenes, quo loquente pacem & bella Athenienſis populus ſuſcepit: ſuſcepta depoſuit: fœdera cum regibus junxit: juncta quoq; diſſolvit. Idem in Demoſthene. Epaminondas Thebanus, qui cùm in Græciæ concilio de Lacedæmoniorum tyrannide ac libidine dominandi multa dixiſſet, ita Græcorum animos commovit: ut à Lacedæmonijs deficerent, & Leuctricæ calamitatis otioſos ſpectatores ſeſe exhiberent. Probus in Epaminonda. Philippus rex Macedoniæ, qui non minores res Oratione, quàm prælio confecit: magis etiam ſibi placuit, ſi quam verbis eſſet adeptus victoriam, quàm ſi quos armis in ſuam poteſtatem redegiſſet: quòd horum partem ſibi milites vendicare exiſtimaret: illa ad ſuam unius laudem pertinere. Polianus lib. 4. Cicero, qui proſcriptorum liberis perſuaſit, ut honoribus ac fortunis carere, quàm novum bellum inteſtinum excitare mallent: populum quamvis famelicum & eſurientem Eloquentia ſua eò compulit: ut legem repudiaret: hoc eſt, alimenta ſua abdicaret: Catilinam urbe ejecit: fecit, ut hoſtis Antonius declararetur. Plutarchus in Cicerone.

Ratio 6. ab uſu ſingulari Eloquentiæ in ſeditionibus.

In ſeditione porrò quantum hæc ipſa Eloquentia proſit, Poëta oſtendit:

Ac veluti magno in populo cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, ſævitq; animis ignobile vulgus,
Iamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat;
Tum pietate gravem, ac meritis, ſi forte Virũ quẽ
Conſpe-

Conſpexêre, ſilent, arrectisq; auribus aſtant.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Æneid. 1.

Probant. Menenius Agrippa, *qui cùm populus à patribus ſeccẽſſiſſet, quo tributum, & militiam toleraret, nec revocari poſſet, eum ſolus Oratione ſua flexit. Livius lib. 2. Dionyſius lib. 6. Plutarchus in Coriolano, Appianus lib. 1. Plinius de Viris Illuſtribus cap. 18.* Furius Camillus, *qui populum Romanum migrare Veios volentem retinuit: atq; ita & oppidum civibus, & cives oppido reddidit Oratione egregia, quæ reperitur apud Livium lib. 5. Plinius cap. 23.* M. Pompilius Lænas, *qui Conſul, plebis contra patres ſeditionem concitatam, cùm authoritate, tum oratione ſua ſedavit. Cicero in Bruto.* P. Scipio, *qui militum ſeditionem ex diuturno partim otio, partim ſtipendijs non ſolutis ortam compoſuit. Livius lib. 28. Polybius lib. 11. Alexander lib. 2. Arriani. Germanicus Cæſar, lib. 1. Cornelij Taciti. Otho lib. 16. apud eundem.*

In Eloquẽtia quæ Principi ac Magiſtratui cavenda.

Itaq; Eloquentia maximè Principi ac Magiſtratui neceſſaria: modò caveatur iſtud primò: ne juvenilis ſit & luxurians oratio: deinde ad Theatrum, hoc eſt, pompam ac oſtentationem quandam conformata: tertiò lucernam redolens nimiumq; diligens, ac ſolicita & exquiſita: quarta ad laudem captandam accommodata, vel propter habitum, vel artem, vel dividendi ſcientiam: detur contrà opera: ut in oratione appareant mores non ficti,

ſed

sed aperti ac ingenui: animi magnitudo, at vera, non simulata & stulta: dicendi libertas, verùm prudens & ex animo paterno profecta, non inimico ac hostili: sapientia & providentia, sed non temeraria atq; inanis, verùm solicita de civium ac subditorum salute & fortunis: gratia atq; persuasio idonea, sed in proposito bono ac honesto: sententiæ ac verba cum gravitate conjuncta: nihil absurdum, ridiculum, ineptum, impium, monstrosum, alienum continentia. Plutarchus de gerenda Repub.

Prolixitas cur in sententijs dicendis vitanda?

Sed & prolixitas in sententijs dicendis declinanda: studendum brevitati est: & inter Senatoris jussa illa Cicero in libris de legibus recenset: ut vocatus compareat, dicat & loco, hoc est rogatus, & modo, ne sit infinitus, quòd multis dicendum. Ac habet prolixitas in sententijs dicendis ostentationem ingenij, Eloquentiæ, & memoriæ: est molesta auditoribus, maximè ijs, qui curis varijs districti distentiq; tenentur. Plutarchus de gerenda Repub. Hac qui gaudent seipsos loquendo, audiendo alios defatigant. Simanca de Repub. lib. 7. cap. 12. Raroq; solidi quid afferunt. Quemadmodum enim vasa vacua plurimùm sonant: ita qui minus docti ac sapientes sunt, plurimùm verborum profundunt & verba multiplicant. Eccl. cap. 10. Contrà, ut gemmæ, sculpturæ, monetæ, non magnitudine, sed vel arte, vel pondere æstimantur: ita Orationes, non paginarum & versuum multitudine: verùm sententiarum bonitate, gravitate rerum ponderantur. Plutarchus de gerenda Rep. Interim

Interim ita brevitati ſtudendum, ne inde obſcuritas aliqua oriatur: omittantur neceſſaria: illud Ammiani Marcellini tenendum: tunc brevitas laudanda, cùm moras intempeſtivas rumpens, nihil cognitioni juſtorum ſubtrahit. lib. 15. Et Poëtæ Philomonis: cum qui nihil opportunè dicit, longum exiſtimat: licet duas tantùm ſyllabas pronuntiarit. At bene dicentem ne longum exiſtimes, etſi permulta dixerit, & longo tempore. Simanca de Repub. lib. 7. cap. 12. Brevitati quomodo in dicendis ſententijs ſtudendum.

Hæc obſervata ſi fuerint, in Eloquentia plurimùm cùm emolumenti, tum ornamenti Principibus ac Magiſtratibus afferet: nec obſtabunt, contra eandem allata antè quæ fuerunt. Nam, ut mores dicentis perſuadent, ita hanc ſimul ad rem neceſſaria Oratio eſt: nec Orator, niſi Vir bonus extiterit, hoc tam auguſto dignus nomine ac titulo eſt: ideoq; Poëta primò pietate gravem & meritis ponit: ſubjungit pòſt: ille regit dictis animos & pectora mulcet. Nec ad oſtentationem compoſita Oratio probatur à veritate recedens. Contra abuſum verò Eloquentiæ iſtud Ariſtotelis adhibendum: Commune illud omnibus bonorum generibus, & maximè præſtantibus, ſola Virtute excepta, eſſe: ut ijs plurimi abutantur. Ariſtoteles lib. 1. cap. 1. Vſurpandum quod Quintilianus affert: Hoc modo, nec Duces, nec Magiſtratus eſſe utiles poſſe: nec medicinam, nec ipſam ſapientiam, ſi abuſus uſum tolleret. lib. 2. Inſtit. cap. 17. Refutatio objectorũ contra Eloquentiam.

QVÆ-

QVAESTIO XX.

VTRVM VIRTVS AC MORVM probitas in Magistratu spectanda.

SVnt qui negant necessariam illam esse: probant quòd.

Rationes contra Virtutem

IN MAGISTRATV VIRTVS non consideranda.

Ratio 1. ab exemplis.

His rationibus: quia multi I. Magistratus fuerunt boni: at non boni viri. Exemplo sint: L. Sylla, qui Imperator extitit felix ac laudatus: Iugurtham in deditionem accepit: superavit plurimos: crudelitatẽ interim nimiam in cives exercuit. Plutarchus in Sylla, Appianus lib. 1. bellorum civilium, Florus lib 3 Plinius de Viris Illustribus cap. 75. Hannibal, qui P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebium, Flaminium apud Thrasymenum, Paulum & Varronem apud Cannas superavit: at crudelis interim, intemperans, perfidus extitit. Plutarchus in Hannibale, Frontinus lib. 3. Plinius de Viris Illustribus cap. 42.

Ratio 2. à cõditione magnorũ ingeniorũ.

Deinde ingenia magna, magnis quoq; vitijs non carent: nihil præstantes naturæ exiguum efferunt: ob ardorem & acumen vehementia earundem esse otiosa nequit: sed quasi æstu fluctibusq; jactantur, donec stabiles ac compositos sibi mores comparaverint. Plutarchus in libello de his qui serò à numine puniuntur.

Itaq;

Itaq; ut agriculturæ periti locum densa obsi-tum sylvâ; agralibus stirpibus lutoq; repletum non reijctunt ac negligunt: quia mollitiem ac bonitatem soli illa indicant: ita inepta & prava, quæ magnæ naturæ efferunt, ferenda, donec ætas ac tempus rationi & virtuti auxilium tulerit. Idem ibid. Ratio 3. à simili.

Ac multi sanè summi homines & clarissimi cives fuerunt: quorum, cùm adolescentiæ cupiditates deferbuissent, Virtutes eximiæ, firmata jam ætate extiterunt. Stultus ac insolens Cimon primis ab annis fuit: crevit ætas ac pueritiæ infamiam in laudem vertit: princeps Athenienſium liberalitate omnibusq; disciplinis civilibus factus est. Val. Max. lib. 6. cap. 11. Themistocles ita prodigus ac compotationibus deditus & amoribus: ut pater eum abdicaret: mater præ mœrore suspendio vitam finiret: pòst verò nemo eum invenit, quicquam præter decorum agentem. Mirantibus autem morum mutationem dicere est solitus: etiam asperos ac indomitos pullos in optimos equos invadere, si adhibita disciplina rectaq; institutio fuerit. Plutarchus in Themistocle. Et Alcibiades ad luxum ac voluptates in juventute propensus, ad frugem traductus bonam Socratis institutione est. Plutarchus in Alcibiade. Antigonus Macedonum rex ab initio regni durior, senex jam factus placidè ac clementer regnavit: de morum mutatione interrogatus respondit: prius opus erat regno: nunc gloria & benevolentia: Ratio 4. ab exẽplis illorum, quĩ mores in melius mutarunt.

qua

qua regnum recuperatum servatur. Plutarchus in Apophteg. P. Scipio Affricanus solutionis vitæ primos adolescentiæ annos egisse dicitur. Valerius Max. lib. 6. Fabius nobilissima Romæ familia ortus, absumptis perditè paternis bonis, Gurgitis cognomentum sibi comparavit: pòst ita temperanter modestèq; vixit: ut populus Romanus morum ei censuram committeret. Fulgosus lib. 6. Augustus Cæsar in bellis civilibus per viginti annos crudelissimè est versatus: at illis postmodum finitis, magna morum in eo secuta quoq; mutatio. Suetonius.

Ratio 5. ab utilitate.

Huc accedit quòd princeps imperium qui salvum velit, cogitur nonnunquam esse non bonus: quandoquidem, si ea multitudo, quæ sit populi, aut militum, aut optimatum, cujusq; opera ad imperium sustinendum se indigere cognoscat, fuerit depravata, obsequi ejus studia atq; illi morem gerere necesse est. Machiavellus cap. 19. de Principe.

Ratio 6. à consuetudine subditorum.

Sed & illud considerandum: non semper Dinarchias, regna, ac imperia probis magistratibus usos fuisse: sed & eos tulisse, quorum impudica & mollis vita extitit: & notum illud: uno in annulo principes bonos omnes sculpi posse. Etiam Flavius Vopiscus in Aureliano quæstionem movet: Quidnam sit illud quod principes malos faciat, & septem causas: nimiam licentiam: omnium rerum copiam atq; abundantiam: amicorum improbitatem: satellitum ac ministrorum nequitiam: aulicorum stultitiam: Rerumpub. ignorantiam: bene imperandi difficul-

Causæ septem, quæ principes malos faciunt.

difficultatem. Et exempla illud testantur: stultitia Roboami, Xerxis: temulentia Sardanapali ac Dionysij, Caligulæ, Commodi, Heliogabali: avaritia Crassi, negligentia Tiberij & Theodosij. Herodotus, Herodianus, Suetonius, Lampridius, Plutarchus, Socrates. Tam denique erunt vitia diu, quàm diu homines erunt. Corn. Tacitus. Verùm licet speciosè ista dicantur: tamen quòd.

VIRTVTIS AC MORVM PRObitatis maximè ratio in Magistratu habenda.

Probant quæ sequuntur rationes. Requirit hoc Plato, ut qui quærendi sunt Iudices ac Magistratus probitatis testimonium per singulas ætates habeant. lib. 3. de Repub. 6. de legibus, 1. Alcibiade. In Romanis quoq; legibus de Magistratu hæc erant: hic ordo vitijs careto: cæteris specimen esto. Cicero 3. de legibus. Neq; illud immeritò. Non enim regnant, sed sæviunt, qui mali sunt. Augustinus lib. 5. de civitate DEI. Et, ut oculi vitio aliquo laborantes perperam cernunt: ita malè imperat anima mala quæ est. Plato 1. de Repub. Pervertit enim intellectum malitia, nec nisi à viro bono bona proficisci possunt. Arist. Ethicorum 6. cap. 12. Et principum vitijs tota infici civitas solet: coq; de Repub. merentur pernicioſius principes vitiosi, quòd non solùm vitia ipsi concipiunt, sed ea in civitatem infundunt: nec tantùm obsunt, quòd ipsi corrumpuntur

Rationes contrariæ pro Virtute.

Ratio 1. ab authoritate ac testimonijs.

Ratio 2 à damno quòd metuatur, dum malitiosi sint Principes ac Magistratus.

puntur, sed etiam quòd corrumpunt, plusq; exemplo, quàm peccato nocent. Cicero libro 3. de legibus. Neq; fieri potest: ut, si Magistratus ipse officium non faciat: ad præclara ac honesta agenda alios excitet. Xenophon in Pædia Cyri: aut contineat alios, qui se non continet. Cicero pro lege Manilia: aut etiam commodè puniat illa flagitia, quibus se quoq; esse affinem novit: sed istud audire tritum cogitur: Medice cura teipsum: & illud: aliorum Medicus, ulceribus ipse scatens. Erasmus Chiliad. 2. Cent. 6. proverbio 38. Et qui multorum custodem se profitetur, eum sapientes sui primùm capitis esse custodem oportere statuunt. Cicero Philipp. 12.

Ratio 3. à damnis & incommodis privatis.

Huc accedit, quòd illorum qui præsunt Reipub. non singula tantùm verba, aut rei publicè gestæ animadvertuntur, sed etiam joci simul ac seria: domus ipsa, familia, uxor, cubile quoq; curiosè perquiritur. Plutarchus in præceptis gerendæ Reipublicæ. Quin etiam augentur delicta personæ conditione: & quò quisq; est major, eò peccatum majus habetur: Etiam minima Principum ac Magistratuum errata amplificantur, ac pro magnis habentur: quemadmodum maculæ, cicatrices, nævi in facie majus dedecus afferunt, plusq; hominem, quàm reliquo in corpore deformant. Idem ibid.

Ratio 4. à cōmodis & emolumentis.

Et, ut paucis res comprehendatur, etiam optimè illi sibi cavent, optimè qui vivunt. Quandoquidem tutissima custodia Principum ac Magistratuum ipsorum innocentia est. Et est aureum illud Claudiani:

Tu

Tu licet extremos latè dominêre per Indos:
Te Medus: te mollis Arabs: te Seres adoret:
Si metuis, si prava cupis: si duceris ira:
Servitij patiere jugum: tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia jura tenebis
Cùm poteris rex esse tui.

Virtutibus ergo Principem ac Magistratum præditum esse oportet: maximè PIETATE. *Est enim præcipua pars Magistratus Religio. Plato 4. de Repub. Eximia res cùm in alijs, tùm maximè Principibus religiosum esse. Xenophon in Agesilai laudibus. Neq; quenquam vult Magistratum Plato eligi: nisi pius extiterit, & divinis operam studijs dederit. Plato libro 3. de legibus. Augusto quoq; inter alia Mecœnas hoc dat præceptum, ut Deos semper ac ubiq; colat: sed ita, ut patriæ receptum moribus est: quòd non verisimile sit: quemquam aliud aliquid magnifacturum, qui Deos contempserit. Dion libro 52. Idem Isocrates præcipit: sed addit: operam dandam esse: ut rex seipsum quàm optimum ac justissimum præbeat: quòd major spes sit talium vota Deos audituros, quàm eorum qui multas victimas prosternunt. Isocrates ad Nicoclem. Et non potest prudens aut justus esse Magistratus ac princeps, nisi idem pius atq; religiosus extiterit: quia facilè deviare solet à Iustitia, qui in causis non Deos, sed homines pertimescit. Chrysostom. in Homilijs. Quin etiam Tyranno curandum est, ut* DEVM *ac religionem colere videatur: quia minus talium injurias homines metuunt:*

Pietas in Principe ac Magistratu cur necessaria.

non his quoq; insidias struunt: quia DEVM *defensorem habere statuunt. Aristoteles 5. Polit. 11. Accedit huc quoq;, quòd subditi vehementer ad religionem excitantur: cùm Magistratuum suorum pietatem vident: quia magis exemplis, quàm legibus reguntur, & vita principum ipsis censura est. Plutarchus in Nicia. Simul etiam authoritas vera paratur. Isocr. in Busiride. Acquiritur vera felicitas: successus rerum prosper. Neq; enim sine Deo vir esse bonus potest: nec potest quisquam supra fortunam exurgere, nisi à* DEO *adjutus fuerit. Seneca Epist. 74. Omnia prospera eveniunt, Deos colentibus: adversa aspernantibus Liu. lib. 5. Ac fatetur Cicero Romanos, non Hispanos numero: non robore Gallos: non calliditate Pœnos: sed religione ac pietate omnes gentes ac nationes superasse. In Orat. de Haruspicum responsis. Quin & tollitur fides ac societas generis humani pietate erga Deos sublata. Cic. 2. de natura Deorum. Et sacræ literæ inservire Domino: osculari filium jubent. Psal. 2. aperire portas regi gloriæ. Psal. 23. agere nutritios Ecclesiæ jubent. Esaiæ 49.*

Exempla Principum piorum.

Commendantur quoq; ob pietatem David, Iosaphatus, Ezechias, Iosias in sacris. Et Numa Pompilius II. *rex Romanorum, qui, ut populum ferum religione molliret, sacra plurima instituit: hæc quoties peragerent, præconis voce proclamari jussit:* HOC AGE. *Livius lib. 1. Plutarchus in ejus vita, Dionysius lib. 2. Plinius de Viris*

Illustri-

Illustribus cap 3. Ancus Martius IV. rex Romanorum qui hoc nomine laudatur quòd sacra à Tullio Hostilio neglecta restituit. Plinius de Viris Illustribus cap. 5. Et Scipio Affricanus, qui nihil prius cœpit, quàm Iovis in cella sedisset, divinamq; mentem accepisset. Livius lib. 6. Plinius de Viris Ill. cap. 49. Valerius Max. lib. 1. cap. 3. Athenienses primo anni die in Senatum venientes unà solemne quoddam sacrificium faciebant, quod εἰσιτήρεσια nominarunt, votaq; pro Repub. suscipiebant. Sigonius de Repub. Athenienſium lib. 2. cap. 2. Ptolomæus Ægyptiorum rex, qui quòd deorum simulachra à Cambyse disjecta, restituisset, Evergetes appellatus fuit. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 2. ex Plutarcho in vita Coriolani. Alexander Magnus, qui postquam mane surrexisset, ante omnia dijs sacrificare est solitus. Plutarchus in ejus vita. Cyrus, qui ob pietatem laudatur à Xenophonte in pædia Cyri: ut & Constantinus Magnus apud Sigonium lib. 4. imperiorum Occidentalium: Theodosius junior apud Socratem lib. 7. Theodoretum lib. 3. Nicephorum lib. 13. & 14. Et est memorabile illud Iustiniani: DEO autore nostrum gubernante imperium, quod nobis à cœlesti majestate traditum est, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & statum Reipub. sustentamus, & ita nostros animos ad DEI omnipotentis erigimus adjutorium: ut neq; armis confidamus, neq; nostris militibus, neq; bellorum ducibus, vel nostro ingenio: sed

omnem spem ad solam referamus summæ providentiam Trinitatis: unde & mundi totius elementa processerunt, & eorum dispositio in orbem terrarum producta est. De Digestorum conceptione. Sunt etiam leges plurimæ religionem ac pietatem concernentes: de summa Trinitate lib. 1. Cod. Tit. 1. sacrosanctis Ecclesiis Tit. 2. Episcopis ac Clericis Titul. 3. Hæreticis Tit. 5. Sancto Baptismate Tit. 6. Apostatis Tit. 7. Vt etiam in Iure Canonico de summa Trinitate & fide Catholica lib. 1. Tit. 1. Decret.

Principes & Magistratus impij.

Itaq; sunt reprehendendi meritò: Cambyses rex Persarum, qui templa & leges ludibrio habuisse dicitur. Fulgosus lib. 1. cap. 2. Xerxes, qui Soli tenebras est minitatus. Herodotus lib. 6. Constantinus V. maleficus, & magicis vanitatibus deditus: non Christianus, non Græcus, non Hebræus, sed omnis impietatis lerna: & ut in Lybia nascuntur feræ multiplici mixtura, ex varijs vanitatibus commixta quædam hostia. Zonaras, Paulus Diaconus. Michaël Traulus, qui resurrectionem minimè credidit: dæmones negavit: Prophetas nihili fecit: futuras promissiones risit. Zonaras. Chilpericus Francorum rex, qui Ecclesias spoliavit: earundem ministros & Episcopos omni tormentorum genere afflixit. Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 27. Iulianus Apostata, qui in ipso belli ardore septem libros contra CHRISTVM evomuisse dicitur. Eutropus.

Iustitia

Vicina pietati IVSTITIA est, summè

Principi

Principi ac Magistratui necessaria. Confugere enim ad hunc est ad Ius ipsum ire, qui jus quoddam animatum: lex loquens est. Aristot. 5. Eth. cap. 4. Cic. 3 de legibus. Atq; hanc ob causam maximè reges creati: constitutæ civitates ac Respub. sunt: ut suum quisq; teneat, neq; bonorum diminutio ulla fiat. Cic. 2. Offic. Osorius lib. 4. de Regum institutione. Et ut ignis quæcunq; admoventur, calefaciens ipse primum innata sibi vi calet: vix contrà suapte natura frigida & alia frigida reddit: sic Iudex ac Magistratus ipse plenus Iustitia esse debet, si alijs jus administraturus est. Simanca de Repub. lib. 5. cap. 6. ex Philone. Et ut Iustitia sine prudentia nihil prodest, sic sine Iustitia nihil valet prudentia. Cic. 2. Offic. Sanat enim hæc vulnera populorum: comprimit omnes motus: pacem & otium cum dignitate constituit: vires Reipub. firmat. Osorius lib. 4. de Regis institutione. Efficit præterea, ut principes verè à subditis amentur. Plutarchus in Aristide. Laudentur etiam ac commendentur: quia nihil laudabile sine Iustitia. Cic. 3. Off. Xenophon libro tertio de Cyri expeditione, Lipsi. libro secundo cap. 20. Idq; eò magis, quòd maxima ingenia plerunq; Iustitiæ oblivio capit, cùm in Imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem incidunt. Cic. 1. Offic. Ac, tametsi etiam honorentur fortes: sint sapientes admirationi: tamen his maximè fidem habere homines solent, qui justi sunt. Plutarchus in Catone Vticensi.

Principi ac Magistratui quamobrē necessaria.

Quin & Sacræ literæ Iustitiam maximè requirunt: diligite, inquiunt, Iustitiam qui judicatis terram. Sapient. 1. Et rex justus erigit terram, qui judicat in veritate pauperes, ejus thronus in æterno firmabitur. Proverb. 19. Portare subditos in sinu suo jubent, sicut portare infantulum nutrix solet. Numer. 11.

Iustitiæ laude qui excelluerint Magistratus ac Principes.

Hujus verò laude excelluerunt: Minos, Rhadamantus, Æacus apud Cretenses: ac propterea post obitum inferorum sunt Iudices constituti. Plato in Gorgia, Plutarchus de sera numinis divini vindicta. Aristides, qui passim δικαιος justus est appellatus. Plutarchus in Aristide. Trajanus Imperator, qui aliquando Prætorij præfectum eligens, ac gladium ei tradens, dixisse fertur: cape hunc ensem: &, si bonus fuero, pro me: sin malus, contra me eo utitor. Suidas. Ochus Artaxerxes, morti vicinus, interrogatus à filio, quo pacto tot annos rectum custodisset, ut ipse quoq; ejus instituta imitaretur, justa, inquit, erga Deos homines q; faciendo. Athenæus lib. 12. Antiochus III. Asiæ rex omnibus regni sui urbibus scripsit: si quod in literis, quæ ejus nomine scriberentur esset, quod legibus adversum videretur crederent, ejusmodi literas se ignaro scriptas fuisse, ac propterea ijs non parerent. Fulgosus lib. 6. cap. 5. Domitianus, qui tantum curæ in Provinciarum Præsidibus adhibuit, ut neq; justiores neq; modestiores unquam extiterint. Suetonius. Carolus Magnus, qui sanxit: ut in primaria cujusq; regionis

regionis urbe, pontifex & prætor ter quotannis, Aprili, Octobri, Ianuario jus dicerent, responsa darent: & primùm pauperes, viduas, pupillos, dato his prudentißimo patrono, diligentißimè audirent, inimicos reconciliarent: vetuit insuper, ne illi lites in diem differrent, néve calumnijs locum facerent. Aventinus lib. 4. Alphonsus Arragonum ac Siciliæ rex, qui præsides provinciarum & Iudices omnes admonuit, ne quod decretum aut rescriptum à se factum servarent, nisi quod jure & honestate niteretur. Panormita lib. 2. Maximè verò Iosaphatus Iudæ rex commendatur, qui Iudicibus ac Magistratibus à se constitutis præcepit: videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium sed Dei. Quodcunq; judicaveritis, in vos redundabit. 11. Paral. c. 19.

Injustitiæ mala & incõmoda.

Sunt contrà, & Deo & Hominibus inviſi Injusti: puniuntur graviter, qui dicunt: fortitudo nostra lex sit. Sapien. 2. leges injustas ferunt: ut pauperes in judicio opprimant, & vim faciant causæ humilium. Esaiæ cap. 10. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. Iobi cap. 24. Indeq; potenter tormenta tales patiuntur: quia non subtrahit personam cujusq; Deus, qui est dominator omnium: nec magnitudinem cujusq; verebitur: quoniam magnum & pusillum ipse fecit. Sapien. 2.

Principum ac Magi-

Ita Pharao perijt. Exodi 14. Saul seipsum gladio interemit. 1. Reg. cap. 31. Devorata à canibus

Stratuum injustorũ exempla.

Iezabel fuit. 4. Reg. cap. 9. Herodes à vermibus consumtus. Actor. cap. 12. Amasis Ægyptiorum in omnes iniquus desertus à suis & captus ab Actisana Æthiopum rege. Diodorus Siculus. Polycrates qui Sami tyrannidem occupavit, cruci affixus. Herodotus lib. 3. Alexander Pheræorum tyrannus ab uxore propter pellicatus suspicionem interemptus. Cic. 2. Officiorum. Dionysius Syracusanus è suis interfectus. Idem ibid. Caligula triginta vulneribus confectus. Suetonius. Nero qui semet ictu gladij transegit: ubi audivit hostem se à Senatu judicatum esse. Idem. L. Antonius Commodus in domo Vestalium strangulatus. Dio. Heliogabalus unà cum matre à militibus necatus. Ælius Spartianus. Grimmerus Sueonum ac Gothorum Tyrannus spectantibus civibus sublimem in furcam elevatus ac strangulatus. Ioannes Magnus, lib. 4.

Prudentia cur in Principe ac Magistratu requiratur.

Vt verò magna ac necessaria virtus Iustitia est: ita Principum ac Magistratuum propria Prudentia est. Est enim Magistratus civitatis oculus: ideoq; ut obscuratis oculis partes reliquæ non vident: nec suis ritè fungi officijs possunt: ita subditi non bene vivunt, quando stultis Magistratibus utuntur. Aristoteles Polit. 3. cap. 3. Est Magistratus Spiritus vitalis, quem multa millia trahunt, nihil ipsa post futura, nisi onus ac præda: si mens illa imperij subtrahatur. Senec. lib. 1. de Clementia cap. 4. Et si cætera animalia domari sine tractatione quadam & arte non possunt, multò minus homo sine

pruden-

prudentia tractari poterit: quia nullum animal morosius est, majoremq; artem requirit, quàm homo. Seneca ibid. Lipsius Polit. 3. cap. 2. Maximè verò quia mores populorum ac nationum varij, & ex patria cœliq; constitutione, & occasione rerum, quæ producuntur, & quasi ingeniti assumuntur: ut copiosè ostendunt Plato in Timæo, Menexeno, lib. 5. de legibus, 8. de Repub. Galenus lib. 2. de Temperamentis, & in libello in quo quæritur: an corporis temperaturam animi mores sequantur. Aristot. Polit. lib. 7. cap. 7. Ptolomeus lib. 2. Quadripartiti cap. 2. Polybius lib. 4. Cicero 2. Agraria. Vegetius de re militari lib. 1. cap. 2. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 13. Lucanus lib. 8. Iulius Maternus lib. 1. rerum Astronomicarum, Picolominæus de materia virtutum gradu 1. cap. 28. Gregorius Tholosanus lib. 4. de Repub. cap. 8. prudentia opus hic magna est: ut Magistratus diligenter mores ac ingenia eorum quibus præest, observet, his sese accommodare sciat, cumq; in his aliquid aut mutandum, aut formandum aliter, non temerè hoc subitoq; faciat, sed illud observet, quod in Vino fieri videmus. Vt enim vinum non illicò primoq; haustu hominem inebriat, aut ejusdē mores mutat, verùm sensim ac paulatim sitim sedat, post inducit & conformat mores varios: reddit alios in irā præcipites: garrulos ac loquaculos alios facit: alijs lachrymas expellit: in alijs alia movet: ita politicus &

magistra-

magistratus prudens observabit primò quibusnam potissimùm populus moveri ac delectari soleat: post fide, diligentia, industria autoritatem consecutus, ad populi animos ducendos aggredietur. Plutarchus de gerenda Repub. Et divinitus prudentibus Magistratus concedatur: ut dum mundi lex seu natura incognitum aliquid hominibus gignit, rectorum consilijs, tanquam medicinæ remedijs, illud leniatur. Diaconus lib. 10. Et sanè quemadmodum ad prosperam navigationem gubernatore bono ac sapiente est opus: sic sapientem oportet Magistratum esse: ut bene constitutæ Reipub. tranquillitas servetur. Philo de charitate. Neq; res æstimari ac ponderari uno momento sine sapientia potest. Cicero 1. off. Atq; hinc non immeritò prudentibus ultrò paretur: libenter illis homines obediunt, qui sibijpsis rectè consulent. Xenophon lib. 1. de Pædia Cyri. Vident id, quod sapientes affirmant, probat experientia, plura summa in fortuna auspicijs ac consilijs, quàm telis & manibus geri. Tacitus Annalium. Lipsius Politicorum 3. cap. 2. Omnia regna, civitates, nationes usq; eo prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuerunt. Vbicunq; gratia, timor, voluptas ea corrupere: post paulò imminutæ opes, deinde ademptum imperium; postremò servitus imposita est. Sallustius in fragmentis. Sed & Sacræ literæ hoc quoq; confirmant: quæ in omni possessione acquirere prudentiam: arripere illam jubent: eo quod det capiti

capiti augmenta gratiarum, & corona inclyta protegat. Proverb. 4. Inhabitari civitates per sensum prudentum asserunt. Eccles. 10. Vt & Sapientem populi stabilimentum esse. Sapientiæ 6. Contra cùm stultus est Magistratus & rex insipiens, prodit populum suum. Eccles. 10. Ac magnum sub sole malum, stultum positum esse in sublimi dignitate. Ibid.

Principum ac Magistratum, prudentiæ laude illustres qui exstiterunt exempla.

Hujus clari atq; illustres laude fuerunt: Salomon, qui prudentiam in gerendo populo unicè præ omnibus divitijs à Deo Opt. Max. petijt 3. Regum 3. Argus rex Peloponnesi, qui, quod sapiens esset, πανόπτης corpore toto oculis præditus est appellatus, qui non simul, sed alternatim somnum caperent. Eustathius Iliad. 2. Nicias & Pericles, apud Plutarchum in Vitis. Fabius Maximus apud Livium lib. 2. Plutarchum in vita hujus & Hannibalis. Plinium de Viris Illustribus cap. 43. Scipio Nasica, qui Eloquentia primus, Iuris scientia consultißimus, ingenio sapientißimus fuit: unde Corculum vulgò appellatus. Cicero in Bruto. Plinius cap. 44. Aratus Sicyonius. Plutarchus in ejus vita. Philippus Macedoniæ rex, qui magis de prudentia, quàm de copiarum & auxiliorum viribus gloriari est solitus: quòd rerum bene in prælijs gestarum laus sibi communis cum his esset, qui secum militassent: sed eorum, quæ orationis comitate rectè transegisset, sibi uni titulum retineret. Diodorus libro decimo sexto. Hannibal, qui cùm tot annos hostilē

in terra

in terra exercitum ex omni colluvione gentium mixtum rexit, quibus non lex, non mos, non lingua una fuit: alius quidem habitus: alia vestis, alia arma, alij ritus, alia sacra: ita tamen arcto vinculo eos copulavit: ut in summa stipendij omniumq; rerum penuria, nullam sit seditionem expertus. Plutarchus in Hannibale. Eutropius libro tertio. Valerius Maximus libro primo. Plinius de Viris Illustribus capite quadragesimo secundo.

Imprudentes & stulti Principes ac Magistratus.

Quemadmodum stultitiæ contrà nomine malè audiverunt: Roboamus 3. Regum 12. Xerxes, qui montibus ac mari compedes est minatus: imò mare flagellare jussit, quòd navigationem impediret. Herodotus lib. 7. Antiochus, qui cum Epiphanes alias cognominaretur, Epimanes ob stultitiam est dictus: in regno urbeq; oberrans nummos temerè sparsit, & cui dat, inquit, fortuna capiat. Athenæus. Heliogabalus, qui eò interdum provectus vesaniæ est: ut, quò melius urbis Romæ magnitudinem cognosceret, araneas sibi colligere jusserit, & ad decem millia pondo invenerit. Ælius Spartianus. Exhibuit & decem millia murium, mille muſtelas. Idem.

Fortes quâ de causa esse Principes & Magistratus debeant.

Ad Prudentiam verò Fortitudo ut accedat necesse est: quandoquidem sine armis Sapientia esse tuta nequit. Plato Epistol. 2. Cavendum ne propter metum Magistratus ex eodem ore, quo judicaturus Deos invocavit, quod sentit, non proferat.

Idem

Idem secundo de legibus. *Animus propter formidinem consilio privetur ac turbetur. Pontanus libro primo, de Fortitudine. Flectatur precibus, aut misericordiâ aut potentiâ: indeq; minus in improbos animadvertat. Plutarchus in Pelopide. Aut defatiscat mollitie: nec perficere valeat, quæ animo concepit. Plato in Gorgia. Et sunt duo, quæ ab egregijs Principibus expectantur: Sanctitas domi in armis Fvrtitudo. Aurelius Victor in Trajano. Duo itidem, quibus Respublicæ rectè gubernantur: domi Concordia: foris Fortitudo. Polybius libro sexto. Huc accedit, quod præclarum est illud usurpari à Principe: Non dicta mea modò milites, sed & facta sequi debetis: nec disciplinam modò sed exemplum quoq; à me petere. Livius libro 7. Et coguntur, si modò velint esse illustres, illud observare Principes ac Magistratus: ut sit labor in negotio: fortitudo in periculo: industria in agendo: celeritas in conficiendo. Cicero pro lege Manilia.*

Quæstio Vtrum Princeps ipse interesse prælio debeat? Rationes in negantem sententiam.

Ac licet in quæstionem & dubitationem veniat: Vtrum Princeps & Dux ipse interesse prælio debeat: in negantem illud partem adducatur: quòd unus rex aut Princeps sit pro decem millibus. 1. Reg. cap. 18. Satius sit dubijs præliorum exemptum, summæ rerum & imperij seipsum reservare. Cornelius Tacitus in vita Othonis. Dissipetur exercitus, duce, vel capto, vel interfecto: ut Sedeciæ, Achabo, Holoferni accidit:

& Epa-

& Epaminondæ, in quem unum vim intendere prælij Ageſilaus, Spartanorum rex juſſit: quòd ſolos cordatos milites victoriæ eſſe authores diceret: ſimul ſtatueret: in bello plus momenti unum verè prudentem, quàm imprudentum turbam. Plutarchus in Apophteg. Laconicis. Plurimi Ducum opera res præclare feliciterq; in bello geſſerint: inter alios Beliſarius, Iuſtiniani Imperat. Dux Perſas in Oriente vicerit: Vandalos in Africa ducto in triumphum Gilimere: Gothorum in Italia gentem, capto Vitige rege. Volaterranus lib. 23.

Affirmantem in partem argumenta.

Tamen multò, & publicè, & privatim melius Principem ac Ducem ipſum prælijs intereſſe: plus eſt in hoc opis, quàm toto exercitu. Corn. Tacitus de moribus. Machiavellus Diſcuſſ. cap. 30. Ac militaris turba ſine Duce eſt corpus ſine ſpiritu. Curtius lib. 10. Vnde Macedones contra Thraces pugnaturi regem ſuum, etiam infantem in acie prætulerunt: quòd accendi putarent militum animos regis præſentia. Iuſtinus lib. 7. Appianus lib. 1.

Exempla Principum ſua præſentia milites qui excitarũt.

Suo verò exemplo Imperatores ac Duces milites mirè excitarunt Cimon, qui primus per Ceramicon alacris, comitantibus ſodalibus in arcem conſcendit: atq; animum alijs addidit. Plutarchus in Cimone. Alexander, qui Tyrum oppugnans, cùm amplam foſſam mœnibus Tyriorum adjectam ſuperare cuperet, primus ipſe corbem arena refertum apportavit. Plutarchus in Alexandro, Polyænus lib. 4. Iulius Cæſar, qui inclinatam aciem ſæpè

ſolus

solus restituit, obsistens fugientibus & contortis faucibus convertens in hostes: quorsum tu abis, inquiens; illic sunt, cum quibus pugnandum. Suetonius. Alphonsus Aragonum rex, audiens milites suos ex castello quodam Dovalengo, quo irruperant, expulsos esse, properè accurrens, scalas ipse manibus apprehendit, inq; oppidi fossam devolvit. Panormita lib. 3. de Alphonsi rebus gestis. Maximè verò tum illud commendatur, cùm Imperij status: salus Provinciarum in discrimine ac periculo versatur: in minoribus bellis committere alijs curam licet. Cornelius Tacitus lib. 4. Lipsius Politicorum 5. cap. 17. Et primus ille dies Othonianas partes afflixit, quòd persuaderi sibi à Consiliarijs suis passus est, ut Brixellum concederet, ac dubijs præliorum exemptus, summæ rerum & imperij seipsum reservaret. Cornelius Tacitus lib. 2.

Extra bellum fortitudine qua de causa Principi ac Magistratui sit opus.

Verùm non in bello modò, sed & alibi magnitudine roboreq; animi ac fortitudine est Magistratui opus: quia pro communibus commodis multæ adeundæ inimicitiæ: subeundæ pro Republica tempestates: cum multis audacibus, improbis quoq; nonnunquam potentibus dimicandum, quæ quidem sine fortitudine fieri nequeunt. Cicero pro Sestio. Coguntur qui præsunt alijs multa audire supervacua: nec tamen sciri potest, an sint supervacua, nisi cùm audierint. Plinius lib. 6. Epist. Nec quicquam etiam melius est, quàm non omnia in Principem jacta ad cognitionem vocari: quia oportet

imperitos pravos suos humores exhalare, aut maledictis aut insidijs: ut magna hic patientia requiratur. Cornelius Tacitus lib. 2. Annalium.

Atq; hinc Sacræ literæ etiam Fortitudinem requirunt: non, inquiunt, nisi fortis sit Iudex, ne potentis faciem extimescat. Ecclesiast. 7. Eum, qui patiens est, multa sapientia sua gubernare, qui autem impatiens est, exultare stultitiam suam affirmant. Proverb. 14 & 16. Et inter alias pœnas Dominus quoq; minatur, daturum sese pueros principes eorum, & effœminatos imperium in illos habituros. Esaiæ 2.

Exempla Principum & Ducum fortium.

Sunt quoq; Principum ac Ducum fortium exempla plurima: Mosis, Iosuæ, Gedeonis, Samsonis, Davidis, Machabæorum. Et in prophanis, Nini apud Iustinum lib. 1. Et Cyri apud Xenophontem lib 1. Pædiæ. Alexandri Magni apud Curtium, Plutarchum in vita Alexandri, Diodorum lib. 15. Pericles, Cimon, Themistocles, Pelopidas apud Plutarchum in vitis: & quidem de Pelopida illud memorabile, quòd magna in trepidatione domo exiens, lachrymante uxore ac rogante, seipsum ut servare vellet, responderit: privatis ista viris dicenda esse, non his qui Magistratus gerunt, ut alios tueantur ac servent. Apud Romanos & Spartanos plurimi: quorum laudes persequuntur Livius, Plutarch. in vitis, Plinius de Viris Illustribus. Et inter Imperatores nostros Carolus Magnus, de quo Æmylius lib. 3. Othones, de quibus Sigonius in

regno

regno Italiæ lib. 6. & 7. Henrici. Sigonius ibid. lib. 8. & 9. Lotharius idem lib. 11. Fridericus Barbaroſſa. idem lib. 12. 13. 14. 15. & alij.

Ignavorũ ac timidorum Principum exempla.

Vt contrà reprehenduntur ignavi & timidi. Achazus rex Iudæorum, qui, cùm Razinem Syriæ, & Pheceam Iſraëlitarum reges contra ſe conſpiraſſe audiviſſet, animo non ſecus commotus eſt, ac ſi vento ſylvarum arbores moventur. Eſaiæ 7. Xerxes multis myriadibus Græciam infeſtans ter à Græcis turpißimè fuſus ac victus eſt: ipſe metu, ne in Europa includeretur, præcipiti fuga per Helleſpontum in Aſiam contendit. Plutarchus in Themiſtocle. Tigranes rex Aſiæ contra Lucullum pugnans, etſi militum multitudine longè præſtaret, tamen turpiter fugam adornavit: etiam diadema abiecit, ne agnitus hoſtium in manus veniret. Xiphilinus in Pompejo. Gallus Voluſianus Imp. qui non ſolùm cum præda intra fines ſuos redire: verùm etiam quotannis certam pecuniæ ſummam dare promiſit, & ex captivis nobiliſſimum quemq; per vim abduci paſſus eſt. Zoſimus. Gallienus, qui, cùm nunciatum ei eſſet, Ægyptum deſciviſſe, dixiſſe fertur: quid? ſine lino eſſe non poſſumus? cùm vaſtatam Aſiam Scytharum incurſionibus comperiſſet, quid ingo, ſine aphronitris eſſe non poſſumus? Perdita Gallia riſit, & num ſine trabeatis ſagis tuta Res eſſe publica non poſſet, quæſivit. Trebel. Pollio. Ladislaus Vngariæ ac Boëmiæ rex, qui audito Turcarum ad Albam Græcam op-

pugnandam adventu, usq; adeò consternatus fuit, ut, simulata venatione, Buda egressus, Viennam continuò sese receperit: arcem quoq; Budinam omni præsidio destitutam reliquerit: quæ triginta circiter diebus hosti quoq; patuit. Bonfinius lib. 7. Decadis 3. Arato quoq; Sicyonio vitio datum fuit, quòd ut consilijs astuq; polleret, ita aperta in acie timidus esset. Itaq; adversarij per ludibrium alluum commemorarunt Prætori Achæorum, instante prælio moveri: sopore ac vertigine eum, simul atq; tuba canere cœpissent, corripi solitum: cùm aciem instruxisset, signum dedisset pugnæ, rogasseteq; præfectos suos & ordinum doctores, nunquid præsentia sua opus esset (nam jactam esse aleam) secedere præstolatum procul eventum. Plutarchus in Arato. Vt & Macedonum regi ultimo Perseo, qui in oppidum Pydnam se magna ignavia subduxit, per causam sacrificij Herculi faciendi, commisso cum L. Paulo Æmilio prælio. Plutarchus in Æmilio.

Liberalitas in Principe ac Magistratu quamobrē laudabilis.

Neq; verò minus necessaria Principi ac Magistratui Liberalitas est, judicatur pulchrius exercitum, quàm seipsum locupletare: ab hostibus potius spolia, quàm dona capere. Xenophon de Agesilao laudibus. Habetur dos in Principe & Magistratu potissima: Liberalitas & Clementia. Pompon. Lætus in Diocletiano. Nec magis verè Princeps imperabit, beneficus qui non extiterit, quàm si sol radios suos hominibus alijsq; animalibus non præberet:

beret: nec regnum, sed regni simulachrum tractat, qui tenax atq; avarus est. Pachimerius in Hist. Et Liberalitate qui utuntur hominum sibi benevolentiam conciliant, ac, quod aptissimum est ad quietè vivendum, charitatem. Cic. 2. de finibus. Devinctos sibi plurimos reddunt: quia beneficium sæpe dare, est docere reddere homines. Mimus. Et qui beneficium inveniunt, compedes inveniunt. Aristoteles 2. Polit. Maximè verò imperitos ac plebejos Liberalitas movet: apud quos privata cuiq; stimulatio: vile decus publicum est. Corn. Tacitus lib 4. Lipsius lib. Polit. 4. cap. 5. Sed & præclara atq; illustria ingenia his quoq; moventur. Quemadmodum enim fruges non tam soli ingenio, quàm cœli beneficio & temperie lætiùs proveniunt: ita quoq; artes bonæ, eximiaq; ingenia Principum ac Magistratuum benignitate excitantur. Iust. Episcopus in Cantica Cant. Itaq; cùm Aurelianus Imperator ex Consiliarijs suis quæreret, quo pacto rectè feliciterq; Respub. administrari posit: ferro & auro ei responsum est: ferro contra hostes: auro apud cives & bene meritos. Zonaras in Aureliano. Et hoc etiam S. scriptura affirmat, cum divitias plurimos amicos reddere ostendit. Proverb. 19. Viros sapientes, & qui oderint avaritiam quærere jubet: ut populum omni tempore judicent. Exodi 18.

Nec præclarorum Principum exempla desunt, qui hac virtute excelluerunt. Alexander Magnus, Liberalitate illustrium

Principum & Magistratuum exempla.

qui magna sua gloria prædicare solitus fuit; à nemine sese unquam benignitate superatum esse. Cælius lib. 7. cap. 28. Cyrus, qui non pecuniam, sed amicos, quibus ille plurimum contulisset divitiarum, suos esse thesauros dixit. Xenophon in Pædiæ Cyri. Cimon, qui prædijs suis septa detraxit: ut & peregrini, & cives, liberè poma inde sumere possent. Plutarchus in Cimone. Scipio Africanus, qui nunquam è foro domum reversus est, nisi beneficio priùs in aliquem collato. Itaq; cùm quodam die nulli operam suam contulisset, regressus domum questus est, diem illum amicis amisisse. Pontanus lib. primo de Magnanimitate, capite 6. Titus Vespasianus, qui cùm admoneretur à domesticis, quasi plurá polliceretur, quàm præstare posset, non oportere ait, quenquam à sermone Principis tristem discedere: diem quoq; eum perdidisse affirmavit: in quo nihil cuiquam præstitisset. Suetonius. Adrianus, qui omnes reges munerum vicisse magnificentia dicitur: amicos quidem non potentes locupletavit: nihil denegavit petentibus. Ælius Spartianus. M. Antoninus Pius Imperator, qui provinciarum Præfectos locupletavit, ornamentis donavit consularibus: Rhetoribus & Philosophis non solùm salaria, verùm etiam honores ac Provincias decrevit. Mox etiam liberalitatem suam testamento plurimis legatis testatam fecit. Iulius Capitolinus. Alexander Severus: qui amicos, quos bene de se meritos intelligeret, etiam ad

petcu-

petendum invitare est solitus: quid, inquiens, est, quòd nihil petis: an me vis tibi fieri debitorem? Pete ne sit, quod privatus de me quærare Lampridius. Diem etiam nullum prætermisit, quo non pium aliquid, liberale, humanum fecerit: publici tamen ærarij ratione habita: ut quamvis imperaret, sciret tamen moderatum prudentemq; Reipub. dispensatorem esse debere. Idem.

Prodigalitas cur vitanda: modus in Liberalitate tenendus Principi ac Magistratui.

Quod & ipsum laude celebrationeq; dignum est. Dum enim cupidi splendoris ac gloriæ profundunt quidam suas opes, ad rapiendi & auferendi injuriam perveniunt: ut ad largiendum copiæ suppetant. Cicero lib. 1. Officiorum. In bellis cùm necessaria requiruntur, thesauri vacui & inanes sunt. Iovius lib. 14. Pervenitur ad exactiones nimias, proscriptiones etiam interdum bonorum virorum: quia principem prodigum egestas sequitur: egestatem extrema tyrannis excipit. Bodinus lib. 6 de Repub. cap. 2. Quin & in proximos prodigi injurioſi sunt: quòd quas copias his suppeditari ac relinqui æquius est, eas ad alienos transferunt. Cicero 1. Officiorum.

Principes & Magistratus prodigi.

Et vituperantur in Historijs non pauci ob prodigalitatem: M. Antonius lib. 15. Dion. C. Caligula, qui ob sumptus citra modum factos, non habuit, unde filiam dotaret: cùm antè super immensos aureorum acervos, patentissimo loco diffusos, nudis pedibus spaciari, totoq; corpore grunnientium porcorum instar volutare sese solitus

fuisset. Suetonius. Antoninus Heliogabalus, qui cùm admoneretur ab amicis, caveret ne ad inopiam, luxu ac prodigalitate redigeretur: quid melius, inquit, quàm ut ipse mihi hæres sim & uxori meæ? Ælius Lampridius. Nero, qui divitiarum fructum non alium esse putavit, quàm profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: verè magnificos, qui abuterentur & perderent: laudavit hoc maximè in Cajo avunculo suo, quòd ingentes opes à Tiberio relictas, brevi spatio prodegisset. Suetonius. Domitianus, qui immensis divitijs in convivijs ac spectaculis dilapidatis, pecunia egens, multos ex potentioribus occidit: partim reos factos in Senatu, partim absentes accusavit: nonnullos etiam ex insidijs clandestinis venenis sustulit, quo haberet, ut tantos sumptus faceret. Xiphilinus. Sigismundus Imperator, Vngariæ ac Boëmiæ rex, qui in amicos prodigebat omnia. Sæpe, cùm in regia nihil esset, quod suo prandio opiparè præpararetur, invitatus amicos adijt: sæpè ab his etiam symbola corrogaret. Bonfinius libro tertio Decad. 3. Vladislaus Iagello, rex Poloniæ, qui nemini quicquam denegare est solitus, aut saltem dimidium dedit. Vnde duplum petierunt, qui simplum auferre vellent. Cromerus lib. 20.

Avaritia in Principe & Magistratu.

Sed gravius adhuc peccant Avari qui sunt. Est enim Principum ac Magistratuum ditare potius, quàm ditescere. Plutarchus in Apophteg.

Neq,

Neq; turpe tantùm, sed etiam sceleratum ac nefarium est, habere quæstui Rempub. Cicero 2. Officiorum. Et qui sunt avari Magistratus, custodiunt populum, non ut pastores gregem, sed ut lupi. Dion in Augusto. Itaq; Imp. in Novellis suis Constit. 8. Omnium malorum causam, cunctorum flagitiorum finem ac principium esse affirmat, pecunias ex officijs quærere. Et Sacræ literæ jubent eligere Magistratus non solùm sapientes, sed etiam eos, qui avaritiam oderunt. Exodi 18. Ducem eum longos visurum dies affirmant, avaritiam odio prosecutus qui fuerit. Prov. 28.

tu qua de causa reprehendatur.

Itaq; malè ob habendi cupiditatem Principes ac Magistratus nonnulli audiverunt. Antigonus rex Macedoniæ in extorquendis pecunijs acer & rigidus: qui cùm ei objiceretur, Alexandrum talem non extitisse, meritò respondit: Asiam enim metebat: ego culmos lego. Plutarchus in Apopht. Vespasianus Imp. qui cùm rapacissimum quemq; promoveret, ut mox ditatos condemnaret, vulgò dictum est, officiarios eum suis ut spongijs uti: quòd veluti spongias, & siccos madefaceret & humentes exprimeret: etiam urinæ inter alia vectigal excogitavit. Suet. Pescenninus Niger Imp. qui Palæstinis rogantibus ut ipsorum censitio levaretur: Vos, inquit, terras vestras levare vultis: ego etiam aërem vestrum censere cuperem. Ælius Spart. Commodus Imp. qui omnium criminum impunitatem auro condonavit. Iulianus Imp. Apostata, qui

Principes & Magistratus qui malè ob Avaritiam audiverũt.

lege proposita, sacrificare nolentibus multam gravissimam imposuit, ingentemq; inde pecuniæ acervum collegit. Socrates lib. 3. capite 3. Nicephorus Phocas Imp. sacris ædibus cæterisq; DEO dicatis locis annuos reditus imminuit: & novo decreto, ne immobilibus bonis Ecclesiæ ampliarentur, cavit. Vnde Antistites, proventibus suis spoliati, rei divinæ, sicut debebant, solitam operam non præstiterunt. Eò tandem Episcoporum facultatem transtulit, ut defuncto aliquo Episcopo, in viduatam Episcopo Ecclesiam regium aliquem ministrum mitteret: cui necessarias tantùm expensas admodum tenuiter erogavit, reliqua omnia suum in usum convertens. P. Diaconus, Cedrenus.

Temperantia, quibus de causis Principi atq; Magistratui non negligenda.

Verùm & Temperantia hic requiritur. Missos etiam facere honores: non attingere Rempub. illi debent, qui voluptatibus ducuntur: cupiditatum sese lenocinijs dederunt. Cicero pro Sestio. Et Socrates principatu dignum vult esse Δικαιολογικόν, optimum ratiocinatorem: ut intelligat, quid quaq; in re, vel boni, vel mali sit. Xenophon de dictis ac factis Socratis memorabilibus lib. 3. Neq; id immeritò: quoniam Principis ac Magistratus persona, non solùm animis, verùm etiam oculis civium servire debet. Cicero 8. Philippica. Æstimantur ac ponderantur delicta personarum pondere & authoritate. Quo nomine Solon legem tulit gravissimam, ut ebrius Magistratus impunè occideretur. Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 5. Nec

cæteris

cæteris dignè unquam imperabit, sibi imperare qui neſcit. Æmilius lib. 8. Nec eſſe bonum poteſt in animo per libidinem corrupto. Tacitus lib. 11. Annalium. Corrumpunt enim voluptates virtutis indolem: labefactant ingenium: conſilium eripiunt. Plutarchus in Hannibale. Contemptum præterea pariunt. Ariſtoteles lib. Polit. 5. cap. 10. Imò nemo ab alijs contemnitur, niſi à ſe ante qui contemptus eſt. Seneca de Conſolatione ad Albinum cap. 15. præbent ad hæc ſtruendi inſidias & opprimendi principes ac Magiſtratus plurimas. Ariſtoteles Polit. 5. cap. 10. Accedit huc & illud, quòd graviſſimæ pœnitendi cauſæ voluptates ſequuntur: quia à natura honeſtatis maximè appetentes ſumus: neceſſe eſt, ut turpitudinis ac dedecoris recordatione affligamur. Oſorius libro 8. de Regis inſtitutione. Et ſanè, ſi qui canes ad venationes aluntur, eam in curam incumbunt, ne nimium impleantur, veloces ut ſint: ipſi canes, cùm aliquid cœperunt, etiam urgente fame, ab eſco abſtinent præſente, dominumq; ſuum expectant: multò Princeps ac Magiſtratus bonus temperans eſſe magis debet: ut graviſſima negotia expediat. Chryſoſt. Homilia 42.

Atq; hac de cauſa melior judicatur, qui dominatur animo ſuo, quàm qui urbes expugnat. Proverb. 16. cap. Miſera judicatur terra, cujus principes mane comedunt: ut beata contrà, cujus principes in tempore veſcuntur ad reficiendum, non luxuriam. Eccleſiaſt. 10. Temperantiæ laudati nomine

Temperantiæ nomine quinam laudati Principes & Magiſtratus fuerint.

nomine fuerunt: Epaminondas Thebanus, qui cùm festo quodam die cives compotationibus operam darent, solus arma murò sq. lustravit: sobrium esse se dixit: ut alijs ebrios esse ac dormire liceret. Plutarchus ad principem indoctum. Iulius Cæsar, de quo Catonis illud notum: quòd unus ex omnibus ad evertendam Rempub. sobrius accesserit. Suetonius in Cæsare. P. Scipio Affricanus, qui, in Hispaniam missus, insolentißimos Numantinæ urbis spiritus, superiorum Ducum culpa munitos, nunquam fregisset, nisi edicto ea omnia, quæ luxuriæ ac voluptatis comparata gratia erant, submoveri penitus jußisset. Valerius Max. lib. 2. Frontinus lib. 4. Eutropius lib. 4. Florus lib. 2.

Ebrietatis ac voluptatum studium cur in Principe & Magistratu reprehendatur.

Reprehensum ebrietatis fuit vitium ac studium voluptatum: propterea quòd Ebrietas unius horulæ hilarem insaniam, at longi temporis fastidium parat. Seneca lib. 8. Epist. 60. Debilitat sensus: obfuscat memoriam: obfuscat intellectum. Plato lib. 1. de legibus. Idem hîc accidit, quod curribus evenire solet, à quibus aurigæ excußæ sunt: ubi illi his destituti temerè feruntur. Isocrates ad Demonicum. Neq; quicquam ridiculum magis est, quàm custode custodem indigere. Plato lib. 3. de Repub. Ac propterea Sacra Scriptura vinum non vult Regibus dari: quòd nullum ibi secretum ubi ebrietas regnat. Proverb. 31. Luxuriosa res est vinum: tumultus ebrietas: sapiens non erit, his qui delectatur. Proverb. 20. Apud Athenienses princeps

princeps ebrius morte mulctatus fuit. Diogenes Laertius in Solone. Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 11. Ægyptij legem tulerunt, qua certa vini subtaxata mensura est Regi ad quotidiana ferçula, quam excedere illi non licuit: ne sui impos, per occasionem & licentiam turpitudini ac sordibus vacaret. Diodorus Siculus lib. 2. Alexander ibid. Plato Magistratibus, donec in honore essent, vinum prohibuit. Idem ibid.

Exempla Principum & Magistratuum, q intemperanter ac libidinosè vixerunt.

Turpiter verò sese dederunt: malè consulue-runt, cùm sibi, tùm alijs, qui in Asia regnarunt, ebrietati, luxui, libidinibus indulgentes: Ninyas, Sardanapalus &c. Ctesias libro 3. Philippus rex Macedoniæ, cujus aula voluptatum schola est habita. Athenæus lib. 4. cap. 20. Alexander Magnus, qui ubi manè surrexit, post rem divinam peractam prandere, reliquum deinde diei dormitare, interdum etiam diem totum est solitus. Curtius, Plutarchus. M. Antonius Triumvir, invisus bonis ac sanis, propter intempestivas perpotationes: odiosos sumptus: volutationes in lustris: somnos diurnos: ambulationes nauseantis & vino mersi: comessationes nocturnas. Plutarchus in Antonio, Cicero 4. Philip. Tiberius Imp. qui vini appetentissimus, biduum continuum cum nocte media potando cum Flacco & Pisone perditissimus Senatoribus peregit. Suctonius. Caligula, qui in convivijs, inter alia, aureo pane, & aureis piscibus in verorum similitudinem expressis, mensas suas instruxit:

pulmen-

pulmenta confecit ex detritis maceratisq; margaritis. Suetonius. Heliogabalus, qui omnes omnium delicias: omne libidinum atq; scelerum genus superavit: convivia ex colorum ratione dedit: primò rubentia omnia, secundò prasina, persa tertiò. Lampridius. Commodus, qui veste gestuq; muliebri usus, cùm nimia crapula gustum omnem amisisset, eò furoris devenit, ut humanum stercus cibis immisceret, rideret illos, qui mixturam eam abhorrerent. Lampridius, Fulgos. lib. 9.

Clementia & Humanitas quare Principi ac Magistratui necessaria.

Non verò minus Principem ac Magistratum commendant Clementia, Mansuetudo, Humanitas. Crudelia enim ac superba imperia acerba magis, quàm diuturna esse solent. Salust. de Repub. ordinanda. Itaq; Sacra Scriptura ibi contumeliam esse docet, ubi Superbia est: & sapientiam, ubi humilitas. Proverb. 11. Superborum Ducum sedes DEVM destruere, & pro his mites facere sedere affirmat. Eccleslast. 10. Quod ostendunt exempla: Tarquinij Superbi, cui primò Romæ abrogatum imperium fuit. Livius lib. 1. & 2. Dionysius lib. 4. Orosius lib. 2. Valerius Max. lib. 7. Plinius de Viris Illustribus cap. 8. Alcibiadis, Thucyd. lib. 6. Plutarchus in Alcibiade. Pausaniæ Spartani, qui effecit, ut ad Athenienses Græci deficerent. Plutarchus in Aristide. Luculli, qui prudens aliàs & doctus, propter austeritatem ac superbiam desertus à militibus suis fuit. Plutarchus in Lucullo. Caligulæ, qui conqueri est solitus, quòd sua tempora nullis

Crudelium & superborum Principum atq; Magistratuum exempla.

multis calamitatibus publicis insignirentur: crebrò pestem, incendia, terræ hiatus optavit. Suetonius. Neronis, ex quo illud auditum crebrò fuit: utinam me mortuo terra igni misceatur. Idem in ejus vita. Atq; inde Indorum sapientum illud: Princeps & Magistratus, quò sublimior est natura eò humaniorem inferioribus sese si præbuerit, charior populo futurus est. Gregoras lib. 6. Et Poëtæ: qui vult amari languida regnet manu. Seneca. Lipsius lib. Polit. 2. cap. 12. Vt illud quoq; in Octavio.

Pulchrum eminere est inter illustres viros:
Consulere patriæ: parcere afflictis: fera
Cæde abstinere: tempus atq; iræ dare:
Orbi quietem. seculo pacem suo.
Hæc summa virtus: petitur hac cœlum via.

Et verè omnino ita statuitur: quia plus Clementia, quàm sævitia proficit: nec tantum charos habent Magistratus, ac gratiam student referre, quibus delicti facta gratia est: sed reliqui etiam omnes reverentur & colunt. Dio lib. 55. Ac revera inexpugnabile munimentum amor civium est: neq; quicquam pulchrius, quàm vivere optantibus cunctis, & vota sub custode nuncupantibus lib. 1. de Clementia. Vt contrà solitudinem amicorum efficit austeritas. Plato in Epistolis ad Dionysium. Excitantur homines ad insidias struendas, hanc ipsam ob causam, quia sibi quoq; metuunt à tali Magistratu. Dio lib. 55. Cumq; coacti metu ac vi imperata faciant: quam primum per occasionem licet, imperij jugum cervicibus eximere properant: atq;

ita se-

ita superbia & crudelitate principum imperia delentur. Diodorus Siculus lib. 15.

Sapientissimi igitur esse rectaq; incedere via videntur, qui non singula ad filum redigunt: aut severitate potius & vi, quàm mansuetudine & humanitate conficere student. Neq; ulla suavior, concinnior, aut utilior harmonia, quàm severitas cum comitate conjuncta. Plutarchus in Phocione. Plinius lib. 4. Epist. Et videmus rationis expertia animalia ferocissima aliàs ac robustissima blandiendo cicurari: perdomari inescando: timidissima contra malè habita ad iram concitari. Dio lib. 55. Exempla quoq; testantur, his candida lætaq; cuncta semper fuisse, qui benignitate ac Clementia imperium temperarunt. Sallustius de Repub. ordinanda. Vt contra, quemadmodum arbores quædam recisæ pullulant: ita regia crudelitas inimicorum multitudinem tollendo auget. Seneca lib. 1. de Clementia, Lipsius Polit. 2. cap. 12.

Faciendum ergo hic Magistratui & Principi idem, quod Medici faciunt, qui rarissimè sectiones ac ignes adhibent: ne ipsa videlicet vitia in corpore magis exasperentur: pleraq; lenibus exercitijs, & mitibus medicamentis sanant ac molliunt. Dio lib. quinquagesimo quinto. Et quod in Sole videtur, qui quibus effulserit, etiam calorem impertire solet. Zonaras in Leone. Hortulani observant, qui oleastrum, aut pyrum sylvestrem cultu in ficum, pyrum, oleam transire docent. Plutarchus in Fabio Max.

Hac

Principum & Magistratuum Clemētiæ laude clarorum exempla.

Hac claruerunt laude: Iulius Cæsar, cujus clementia laudatur à Cicerone, pro Marcello, Ligario, & apud Dionem in oratione Antonij lib. 44. Titus Vespasianus: cujus dictum illud est nobile: non oportet quemquam à principis sermone tristem discedere. Suetonius, Xiphilinus. Artoxerxes rex Persarum, qui de se scribit: nolui abuti potentia magnitudine, sed clementia & lenitate subjectos gubernare. Esth. 11. Marcus Antoninus Pius, qui secutus Scipionem malle se affirmavit unum civem servare, quàm mille hostes occidere. Capitolinus. Theodosius junior, qui optare se dixit: ut etiam hostibus suis mortuis vitam restituere posset. Cuspinianus. Philippus Macedo: cujus istud laudatur: malo diu benignus ac clemens, quàm brevi tempore Dominus appellari. Plutarchus in Apoph. Theopompus Spartanorum rex de quo illud memorabile: qui propter Ephoros constitutos à suis reprehenderent, quasi ita potentiam suam imminueret, minorem quidem sed diuturniorem se potestatem relicturum Ephoris creatis dixit. Valerius Maxim. libro 4. capite 1. Otho Magnus, amor mundi appellatus ob humanitatem ac popularitatem. Hedio Chronicis.

Severitas quamobrē Principi & Magistratui utilis.

Neq; tamen ita Mansuetudo atq; Clementia probanda: ut non interim Severitas Reipub. causa adhibeatur: sine qua civitas administrari non potest. Cicero libro 1 Officiorum. Et, ut non Severitatis, ita nec Clementiæ gloria affectanda est.

libro Digest. 48. Tit. 19. Sed opera danda: ut jus suum Magistratus retineat. Plato. 3. de Legibus: non sit contemptui subditis. Plutarchus in Apophteg. Laconicis: noceant exempla: ingenia bona corrumpantur. Isocrates in Areopag. Confusio Reipub. sequatur. Seneca lib. 1. de Clementia: illud dicatur: malum est eum imperare, sub quo nemini quicquam licet: sed pejus, sub quo omnia licent. Tam enim est grave omnibus ignoscere, quàm nemini veniam dare: & nocet bonis, malis qui parcit. Seneca in proverbijs. Neq; inhumanitas hoc, sed potius summa quædam humanitas est: cùm multi paucorum animadversione salvantur. Iustin. in novella const. 30. Itaq; Idem hic faciendum, quod facere hortulani solent, qui noxias herbas tollunt: ut herbis utilibus incrementa concilientur. Saxo lib. 14. Danicarum Historiarum. Et quod Medici observant, qui in corpore, si quid ejuscemodi est, quod reliquo corpori nocet, urunt ac secant: ut membrorum potius aliquod, quàm totum corpus intereat. Cicero 8. Philip. Sed & Sacra Scriptura hoc requirit: cùm auferre malum de medio jubet: ut audientes cæteri timorem habeant, nec audeant talia facere. Deuter. 19. Statuit secundo peccare nimium: tertio peccare pœnam secum adferre. Syracid. 29. Hoc requirit: ut flagellum equo, camus asino: virga in dorso imprudentium sit, Proverb. 26.

Severitate insignes

Et laudati hoc sunt nomine Iunius Brutus, primus Romanorum Consul, qui filios suos & fratris

fratris, quòd cum Aquilijs ac Vitellijs ad recipiendum in urbem Tarquinios conjuraverant, virgis cæsos securi percussit. Livius lib. 1. Dionysius libro 4. Florus libro 1. Orosius lib. 2. Eutropius lib. 1. Plinius de Viris Illustribus cap. 10. Valerius Maxim. lib. 5. cap. 8. Titus Manlius Torquatus, qui Consul bello Latino filium suum, quòd contra imperium pugnasset, securi percussit. Livius lib 8. Florus lib. 1. Plutarchus in Fabio Max. Frontinus lib. 4. Plinius de Viris Illustribus cap. 28. Augustus Cæsar, qui Julias filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegavit: relegatis usum vini omnem delicatiorem cultum ademit: neq; adiri à quoquam libero servoq;, nisi se consulto permisit. Suetonius. Alexander Imperator, qui Severi cognomentum ob disciplinam militarem severam & austeritatem. Lampridius. Ne quidem amicis pepercit peccantibus: his inquiens, charior mihi tota Respub. est. Idem ibid. Aurelianus servos & ministros peccantes coram se cædi, severitatis tenendæ causa jussit. Ancillam suam quæ adulterium cum servo suo fecerat, capite punivit. Vopiscus. Cambyses, qui malè cujusdam judicis ex corpore pellem detractans, sellæ intendit, in eaq; filium judicaturum considere jussit. Valerius Maximus libro quinto. Clearchus Spartanus, qui dicere est solitus, à militibus decere magis Ducem, quam hostem metui. Idem libro secundo. Principes ac Magistratus.

Hic ergo virtutibus opera Magistratus ac Ad allata

contra virtutes morumq; probitatem in Principe ac Magistratu responsio.

Principi bona danda est. Etsi enim sine vitijs nemo nascatur: tam hæc diu erunt, quamdiu homines erunt: oporteat dominantium vel avaritiam tolerare, quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, cæteraq; naturæ mala toleramus. Corn. Tacitus libro quarto. Tamen nihil turpius est vitioso Principe aut Magistratu. Licet etiam à populo ferantur interdum improbi principes ac Magistratus vel perverso quodam depravatoq; judicio, vel petulantia populi: qui sæpe lutum, quòd ajunt, manibus, pedibus farinam tractat: spernit bonos, malos probat: vel penuria meliorum Magistratuum: vel deniq; quia eidem gratum est, cum principum ac Magistratuum suorum notari perstringi, carminari vitia audit: in judicando tum mire sibi placet: sic quoq; facilius sua delicta & errata excusari posse opinatur: neq; quicquam sibi turpe putat, quod à Magistratu suo committi videt. Plutarchus de gerenda Repub. Tamen nihil hîc diuturnum est: sed ut gravidæ mulierculæ, cùm pica vexantur, mollitie stomachi dissoluti, appetitu depravato, lapidibus quoq; carbonibus, cineribus, alijs vescuntur, à quibus natura aliâs abhorret: post hæc eadem aversantur: & quemadmodum ventriculi imbecillitate qui laborant, vel ex nimia repletione, vel alia causa: febri sunt correpti, aut nauseant, cibos per se non usq; adeo gratos quærunt: paulò verò post hos ipsos respuunt: ita populus, judicij quadam imbecillitate aut pravitate, quibus-

quibuscunq; Magistratibus, etiam improbis interdum utitur: post verò hos ipsos contemnit ac odio prosequitur. Idem ibidem.

In eam ergo curam Princeps & Magistratus bonus incumbet: ut vitia omnia declinet, aut si amandare cuncta nequeat, illa saltem fugiat, quæ in conspectu sunt, & videri ac notari possunt. Idem ibid.

QVAESTIO XXI.

VTRVM IN PRINCIPE, AVT alio aliquo Magistratu eligendo, corporis proceritas: formæ præstantia ac dignitas spectanda?

Corporis forma ac proceritas in Magistratu spectanda.

NEq; hæc, opinor, quæstio temerè moveri potest: sit nec ne corporis, aut proceritatis, aut formæ in Magistratu & principe alia ratio habenda. Et quidem affirmantem in sententiam argumenta ista adferuntur: quod apud Israelitas Saulus fuit electus nulli pulchritudine cedens: omnes humeris supereminens. lib. 1. Reg. cap. 9. In Meroe nemo summum gerere imperium potuit: nisi qui prævalido alijs corpore antecelleret. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 23. ex Pomponij Melæ lib. 3. Cathei Indi neminem probarunt regem, nisi qui insigni corporis forma cæteris anteiret. Idem ibidem, Strabo libro 16. Diodorus Siculus lib. 17. Homerus Heroum præstantissimos ac fortissimos: Hectorem & Achillem formosissimos passim introducit.

Xerxes Persarum rex, qui cùm ter virorum millia suo in exercitu haberet, tamen omnes corporis magnitudine ac specie superavit. Herodotus lib. 7. Demetrius Poliorcetes, Antigonus Asiæ regis filius, qui forma & venustate faciei adeò excellenti extitit: ut nemo plastes aut pictor imaginem ejus exprimere posset. Plutarchus in Demetrio. Scipio Africanus, qui formæ dignitate admirationi Barbaris in Hispania fuit. Plutarchus in Scipione. Augustus Cæsar: in quo, inter alia, illud laudatur: quod oculos claros ac nitidos habuerit: quibus existimari voluerit: divini quiddam vigoris ineſſe: sit etiam gavisus, si quis sibi acrius contuenti, quasi Solis ad fulgorem vultum submitteret. Suetonius. Antoninus Diadumenus Imp. qui ubi primum indumenta coccea & purpurea cæteraq; castrensia imperij insignia accepit, quasi sydereus ac cœlestis emicuit: ut venustatis gratia ab omnibus amaretur. Ælius Lampridius. Maximinus junior, quem iccirco pater Imperatorem sese appellasse scribit: ut videret, vel in pictura, vel veritate, qualis esset junior Maximinus in purpura: & populus Romanus ille antiquus juraret se nunquam pulchriorem Imperatorem habuisse. Iulius Capitolinus. Carolus Magnus Imp. qui statura fuit eminenti, corpore amplo, membris congruentibus, facie pulchra, canicie reverenda, vultu majestatis pleno, universa specie augusta. Paulus Æmilius lib. 3. Rodolphus primus Imperat. qui specie fuit decora, quæ regem

decet,

decet, forma quadrata, capite haud magno, crinibus raris, naso aquilino. Cuspinianus. Sigismundus Imperat. proceræ ac insignis staturæ, pulchra facie, crispis crinibus. Idem. Maximilianus primus, qui statura quadrata fuit: in qua Cæsarea Majestas eluxit: ita ut nemo non hunc Imperatorem esse, etiam externus, inter triginta maximos principes, antea non visum agnosceret. Idem. Et Spartani olim statuerunt, ne claudus in regnum admitteretur. Plutarchus in Agesilao.

Deinde, ubi vera & virilis corporis pulchritudo adest, illic quoq; animæ ingenij adesse pulchritudo solet.

Declarat contra animi deformitatem corporis deformitas: vixq; bonos mores habet, cujus deformis facies est. Tiraquellus in legibus Connubialibus, lege secunda numero quinquagesimo quinto. Neq; abs re illud à Poëta dictum:

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.
lib. 5. Æneid.

Quemadmodum & proceritas hanc commendat. Ideoq; haud immeritò Lacedæmonij Ephori Archidamum regem pecunia mulctarunt: quòd uxorem pusillam duxisset: ac propterea non reges, sed reginas, aut regunculos effœminatos post sese relinquere cogitasset. Plutarchus de liberorum educatione.

Etsi verò optanda formæ præstantia, corporis proceritas sit: tamen si desit, non iccirco indignus Mentis pulchritudo magis,

quam corporis in Magistratu legendo considerranda.

quis Magistratu judicandus est: modò mens virtutibus exornata egregijs fuerit. Pulchro ac procero corpore Saul fuit præditus: at interim malus. Absolomus regis Davidis filius nullum vitium à pedis vestigio ad verticem usq; habuit. 2. Regum cap. 14. Vix octo tonderi diebus potuit: at impius in patrem. Iosephus lib. 7. Ejusdem frater Adonias forma eximius: at patre jam sene existente, currus, equites & præcursores quinquaginta sibi comparavit, ac regem proclamari se jussit. 3. Regum 2. Pulcher Diadumenus, sed crudelis admodum & sævus etiam ultra ætatem. Id quod vel ad patrem scriptæ literæ indicant: in quibus ita inter alia hæc reperiuntur. Non satis, mi pater, videris in amore nostro mores tuos tenuisse, qui tyrannidis affectatæ conscios reservasti: sperans eos vel amiciores tibi futuros, si ijs parceres, vel ob antiquam familiaritatem dimittendos. Quod nec debuit fieri nec potuit. Nam primum omnium jam te exulceratis suspicionibus amare non possunt: deniq; crudeliores inimici sunt, qui obliti veteris familiaritatis se inimicissimis tuis junxerunt. Feriendi sunt isti, si vis esse securus. Nam vitio generis humani alij non sunt defuturi, cùm isti servantur. Ælius Lampridius.

Deformes ac parvæ staturæ homines Reipub. q profuerũt.

Fuerunt contrà, & parvæ staturæ, & deformes non pauci Reipub. plurimum qui profuerunt: illud ostenderunt, quod dicitur; parvo in corpore magnam sæpenumero virtutem: sub deformi corpore mentis vim absconditam latere. Fuit Agesilaus,

Sparta-

Spartanorum rex pusillus, forma parum probata: amabiliorem verò sese ad senectutem usq; omnibus formosis præbuit: utilis extitit Reipub. Plutarchus in Agesilao. Et non formosus erat, sed erat facundus Vlysses. Pipinus, Childerico Francorum rege fugato, qui ex Austria migrans, in prætorij est præfectum creatus, tam extitisse brevis corporis dicitur, ut Pupilli inde cognomen reportarit. Ritius lib. 1. de Francorum regibus. Philopœmenes Achæorum prætor, majore prudentia quàm forma præditus: qui, cùm Megaris ejus adventus expectaretur, pararetur q; convivium apud hospitem, apud quem diversurus erat, magno studio, illeq; interim tenui veste domum hospitalem ingressus, creditus à matrefamiliàs servorum unus, qui ab ipso Duce præmissus esset, ligna ab ea scindere jussus est. Quod cum sedulo ille faceret, supervenit interim hospes, qui Philopœmenem operantem intuitus, indignitate rei commotus, quid hoc est, inquit, Philopœmenes, cui ille, do, inquit, deformitatis meæ pœnas. Plutarchus in Philopœmene.

QVAESTIO XXII.

AN VNI MVLTA OFFICIA committenda: Magistratus plures imponendi aut sustinendi?

IN controversiam & hæc venire quæstio solet: Vtrum plures uni Magistratus concedendi: aut concessi suscipiendi sint. Equidem affirmantem in sententiam, quodq;.

VNI MVLTA OFFICIA IMponenda: committendi Magistratus sint?

Rationes affirmantem in sententiam.

Hæc quæ sequuntur probare videntur: quòd ita primùm humani ingenij agilis ac velox natura: ut ne possit quidem aliquid unum agere tantum: in plura verò, non eodem die modò, sed eodem temporis momento vim suam impendas. Quintilianus lib. Instit. Oratoriarum 1. cap. 19. Ita citharœdi simul & memoriæ, & sono vocis, & pluribus flexibus serviunt: cùm interim alios nervos dextra percurrunt, alios leva trahunt, continent, præbent: ne pes quidem otiosus certam legem temporum servat: hæc pariter omnia. Et agricolæ arva simul, & vineta, & oleas & arbustum colunt, & pratis, pecoribus, hortis, alvearibus curam accommodant. Et ferentibus aliquid negotijs, aliquid desiderijs amicorum, aliquid negotijs domesticis, aliquid curæ corporis, nonnihil voluptatibus quotidie damus. Idem ibid. Deinde varietas ipsa animos reficit & reparat, contraq; aliquanto difficilius est, uno in labore perseverare: & quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Idem. Tum & dignitates quædam inutiles, aut & superflui magistratus, ut horum multi uni alicui committi possint. Gregorius Tholozanus libro de Repub. quarto, capite sexto. Necessitas præterea sæpe facere illud cogit: ne propter stipendia ærarium oneretur. Idem ibidem. Verùm sunt in contra-

contrarium rationes plures ac meliores, quæ evincunt, quòd

VNI MVLTA OFFICIA NON imponenda: Magistratus plures committendi.

Rationes negantem in sententiam.

Quia rectius ac melius negotia à multis, quàm uno conficiuntur: quemadmodum manus multos in digitos divisa ad negotia peragenda celerem expeditum usum habet. Plutarchus de gerenda Republica, singuli singula rectè conficere possunt, plura verò minimè. Quòd si facere quis hoc conatur, in singulis deficiet ita, ut in nullo egregius evadat. Plato secundo de Republica, Aristoteles libro secundo & quarto Polit. Ac licet intentum quis animum habeat: tamen duas res, magnas præsertim, non modò agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest. Cicero Philipp. duodecima. Etsi quoq; πολυπεάμονες tales initio placeant, sint nonnullis admirationi propter industriam: tamen oritur post tædium ac reditus fit ad singulos. Plutarchus de gerenda Republica. Nec possunt tales immunes ac liberi esse à reprehensionibus. Idem ibidem. Mala oriuntur & incommoda publica plurima: officia negliguntur: corrumpuntur judicia: introducuntur multi vicarij, qui pestes Rerumpub. Aristoteles libro secundo. Polit. capite nono. Simanca libro 9. de Republica, capite trigesimo. Etiam naturæ conditio talis: ut non una

omnia

omnia, sed singulis distincta det officia: soli, verbi causa, ut luceat: igni ut ardeat, aquæ ut humectet. Aristoteles lib. secundo Politic. cap. 9. & in hunc Casus. Vt illud silentio minimè involvatur: quòd ita via præcluditur conscendendi ad honores idoneis: dum unus plurium vices & honores occupat: ac ita principi dēpereunt boni & strenui: qui aliò sese conferunt: dum vident eum in unum solum honores conferre. Gregorius Tholozanus lib. 4. de Repub. cap. 6.

Itaq; & leges civiles multitudinem Magistratuum ac Officiorum prohibent: extat lex Iustiniani: nemo ex his, qui advocati causarum constituti sunt, vel fuerint etiam in hac regia urbe, in quocunq; judicio deputati, & in alijs omnibus Provincijs, nostro subjectis imperio audeat in uno eodemq; tempore tam advocatione uti, quàm Consiliarij cujuscunq; Magistratibus, quibus Respub. gerenda committitur, curam arripere: cùm satis abundeq; sufficiat, vel per advocationem causis perfectissimè patrocinari, vel assessoris officio fungi: ne, cùm ad utrumq; festinat, neutrum bene peragat. Nec sit concessum cuiquam duobus Magistratibus assidere, & utriusq; judicium peragere. Neq; enim facilè credendum est, etiam duabus rebus necessarijs unum sufficere: nam, cùm uni judicio affuerit, alteri abstrahi necesse est, sicq; nulli eorum idoneum in totum inveniri: sed, altera assessione penitus semota, unius contentum Magistratus esse judicio. lib. 1. Codicis

Codicis Tit. 51. de Assessoribus, & domesticis & Cancellarijs Iudicum. Et Digest. lib. 50. Titul. 4. Honorem sustinenti munus imponi non potest: munus sustinenti honor deferri potest. Itaq; apud Plutarchum de Metiocho quodam, omnia agere volenti illud Athenis civium sermone circumferebatur: Metiochus exercitum ducit: Metiochus vias curat: Metiochus farinam tractat: Metiochus cunctis alijs præst: Metiochus itaq; PLORABIT: qualis plerunq; exitus illorum esse solet, qui temeritate vel ambitione quadam agere omnia volunt. Plutarchus de Republica gerenda. Et est notatu dignum quod de Chabanne principe quodam Galliæ, refertur: qui, cùm Ludovicus XI. Gallorum rex, Baluo Eruſiorum Episcopo potestatem Parisiis dedisset recensendorum militum, ægrè id ferens, à rege Censoriam potestatem petijt in Canonicos Eruſios animadvertendi: rege verò respondente, aliena à messe falcem cohibendam esse: minimè, inquit, Nam cùm Episcopus nostram messem suam fecerit, superest, ut nos ipsius nostram esse ducamus. Corrozetus de dictis memorabilibus. Laudatur verò Ludovicus Vngariæ rex, qui à Casimiro M. Polonorum rege in regni successionem adoptatus, petentibus Polonorum legatis, & Vngarorum Proceribus, ut regnum susciperet, respondit: non satis intelligere, neq; hos qui suadeant, neq; illos quid petant. E neutrorum enim re id fore: sicut neq; duobus quidem gregibus expediat unum pastorem habere.

Duas

Duas Respub. vix ulla ratione sive alterutrius, sive adeò utriusq; malo & incommodo uno administrari posse. Etsi pòst, victus ab Oratoribus annuerit. Cromerus libro 13.

QVAESTIO XXIII.

VTRVM QVI IN SENTENTIIS decendis à nobis discrepant ac dissentiunt odio habendi: & quo illud modo faciendum?

Quæstionis utilitas.

SVnt qui omnes suo ex ore sapere cupiunt: secus si fiat, odisse incipiunt. Apud Persas istud more receptum fuisse Historici testantur: ut si quis in consilijs regi quid contrarium dixisset, flagris cæderetur. Ælianus lib. 12. Xerxes, cùm in expeditione adversus Græcos instituta, regni sui Proceres ac Consiliarios convocasset: feciſſe hoc sese dixit: non ut illorum consilia sequeretur: sed ut illi suis parerent, Herodotus lib. 7. Domitianus Imperator, ut Plinius scribit, talis ut in rogandis sententijs nemo os aperire auderet: unus ille solus diceret: censeret, mandaret quod sequerentur omnes. Neq; mirum hoc fuit: quia superbus atq; insolens hic etiam in alijs extitit. Cùm procuratorum suorum nomine formalem Epistolam dictaret, sic cœpit: Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Vnde pòst institutum, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam aliter appellaretur. Suetonius.

Dissentien-

Aliter Cyrus, Alexander, Augustus, principes boni

boni alij animati fuerunt: qui propterea postremo loco dicere sententias suas sunt soliti: ne propter authoritatem, alij suas sequerentur. Aliter Romani, apud quos in omnibus Comitijs, ubi quid cum populo agendum erat, priùs privatis hominibus concio dabatur: quàm Magistratum tenentibus: ne quis nimium potentioris, (ut fieri assolet) sententia praeventus, suam ipse supprimeret: sed summa cum libertate, quod sentiunt, exponerent. Simanca de Repub. lib. 7. cap. 12. ex Dionis libro 39. Aliter Artabanus apud Xerxem regem Persarum sentit: qui nisi diversæ dicantur sententiæ, meliorem non posse eligi: pluribus autem dictis, tanquam aurum purum licere deligere affirmat: quod, cùm per se discerni nequeat, cum altero comparatum discerni potest. Herodotus lib. 7. Aliter Cicero, qui vult, ut in recta sententia ne victa quidem causa vituperetur: unusquisq; rectissimam sententiam dicat: tametsi solus in ea singularisq; futurus sit: quòd ad eum non rei exitus, sed consilium ac suffragium optimum pertineat. 11. Philip. Aliter Macedonum rex Philippus, qui cuidam amico in omnibus sibi annuenti, dictasq; sententias probanti, diversum, inquit, semel senti: ut duo esse videamur. Plutarchus de discrimine adulatoris & amici veri. Et revera vix adulationis effugere suspicionem possunt, qui aliorum sententias omnes probant: sunt in cunctis pedarij Idem ibid. Neq; malè istud affirmatur: eum qui contendit in deliberationibus non conferendas

tes sententias animo æquo qui tulerint.

ferendas sententias dicendo esse, aut stultum esse, aut privatim sibi cavere. Thucydides lib. 3. Cùm præsertim nihil in rebus humanis sit usq; adeò semotum ab omni controversia, tametsi maximam cum justitia cognationem habeat, quod dubitationem & controversiam non recipiat, si subtiliter animi curas intendas. Simanca lib. 7. de Republica, capite 12. Quæstiones sæpe occurrant inexplicabiles, facta dubia & obscura: testimonia varia & pugnantia. Idem ibidem.

Modi, quibus sententiarum in discrepantia offensio vitanda.

Hîc tamen modi tenendi, quibus in sententiarum discrepantia aliorum offensio vitari solet: quorum 1. est: ut in Senatu pro Repub. sententiæ diversæ dicantur acriter: in privatis verò rebus amicè ac familiariter degatur. 2. distinguatur inter civem à nobis dissentientem, & verum inimicum. 3. vitentur reprehensiones, aut ἡ δικωτέρως adhibeantur ac placidè: fugiatur iracundia & contumelia. 4 Vsurpetur illud: hæc tibi videntur: illa verò mihi. 5. reducatur qui dissentit à nobis quasi Musicum ad modum amicè ac placidè, non durè. 6. adhibeatur quoq; laus prudentiæ illius ac doctrinæ, patriæ amoris, fidei. Plutarchus de gerenda Republica. Ita deniq; agatur, ut non à voluntate, sed intellectu proficisci dissensio videatur.

QVAE-

QVAESTIO XXIV.

VTRVM CONVENIAT IN SENATU dicendi libertate uti: reprehendere alios, se ac sua laudare: & quomodo utrumq; ἐμμέτρως ac citra invidiam atq; defensionem faciendum?

Quæstionis utilitas.

VTrumq; grave, molestum, invidiosum: & aliorum errores aut vitia reprehendere, & de se ac rebus suis gestis in Senatu loqui eademq; laudare: sæpenumero tamen necessarium est. Reprehensus Rex David à Nathane Propheta, ob adulterium cum homicidio junctum: æquo illud animo accipit: lib. 2. Regum cap. 12. Augustus Cæsar ab Equitis Romani liberto verbo tactus, patienter fert illud. Suetonius. Lubens D. Ambrosij admonitionem gravem Theodosius Imp. admittit: legem ponit illam: ut, si vindicari in alios severius contra consuetudinem suam jusserit, pro causæ intuitu, non statim in eos animadvertatur, aut excipiatur sententia, sed per dies triginta super statuta eorum sors ac fortuna suspensa sit. P. Diaconus. Ioachimus contrà Iudæorum rex Ieremiam non audit: ejusdem Vulcano librum consecrat. Iosephus lib. 10. Antiquit. Cambyses ob temulentiæ reprehensionem Prexaspis Satrapæ filium sagitta interimit. Herodotus lib. 3. Alexander M. nus Callisthenem Philosophum, truncatis membris ac scissis q; auribus, labijs ac naso deformatum, post

Reprehensiones qui tulerunt, aut non tulerunt.

varia tormentorum genera de medio sustulit: quòd ejusdem adorationem improbaret Plutarchus in vita Alexandri.

In laude propria & περιαυτολογίᾳ qui peccarunt.

Etiam laus illa suavissima auditu est ab alijs profecta: molestissima alijs, quæ quis sibi ipse tribuit. Xenophon. Neq; Cicero omnibus placuit: cùm post oppressum Catilinam ubiq;, sive in Senatu, sive in concione, sive in judicijs in ore Catilinam ac Lentulum habuit. Plutarchus in vita Ciceronis. Laudantur contrà ab eodem Aristides & Cato Major: quòd modestiæ hac in re studuerit: illud affirmatur: arrogantiæ vacuitatem viaticum magnum civilem ad mansuetudinem esse. In comparatione Aristidis ac Catonis Majoris. Et tamen opus interdum est: ut nos nostraq; laudemus: cùm vel defendere nos contra aliorum convitia ac calumnias cogimur: vel in calamitates & miserias incidimus, ubi sæpè commiseratio friget.

Modi, quibus citra Invidiam ac offensionem laus propria instituenda.

Vt autem modestè, cautè, citraq; invidiam ac offensionem illud fiat, hi observandi modi erunt. 1. Occasio ipsum laudandi indicanda: ut scilicet calumniæ atq; accusationes aliorum depellantur: quòd animi magni ac fortis est. Vsus hoc est modo: Pericles apud Athenienses suos: Epaminondas apud Thebanos: Scipio apud Romanos. 2. Adversa res proferenda, ubi sui prædicatio & jactantia locum invenit, maximè apud ingratos: quemadmodum sese ac res suas laudarunt Phocio & Themistocles: quorum hic, cùm ab Athenienſibus

fastidiri

fastidiri sese atq; despici animadverteret, quid, inquit, defatigamini sæpè ab eodem beneficijs accipiendis, &, tempestate oborta, sub arborem hanc confugitis: serenitate reddita, inter digrediendum frondes ejus stringitis? 3. Defensio adducenda necessaria, quando rectè laudabiliterq; facta culpantur. Neq; enim exprobrare hoc, sed defendere est. Quod Lycurgus, Demosthenes in oratione pro Corone, Cicero contra Metellum. 4. De sese dictis Auditorum laus admiscenda: quo pacto idem ibidem invidiam declinat: cùm, quales erga Eubœenses, Thebanos, Byzantios, Chersonesitas Athenienses extiterint, ostendit: eorum in hos beneficia laudat: ad ministram tantùm illorum sese fuisse affirmat. 5. Commendandi nos per alios: quibus idem studiũ: eadem actiones: ijdem mores sunt. Ita Alexander Herculem venerans: & rursus Alexandrum Androcottus effecerunt: ut ipsi quoq; à similibus honorarentur. 6. Transferenda laus in alium, ut DEVM, aut Fortunam: non sibi arroganda. Sic Pytho Ænius, cùm Cotij interfecto Athenas veniisset, Oratoribus certatim eum apud populum laudantibus animadvertens quosdam sibi intudere, atq; graviter hoc ferre, hæc, inquit, Athenienses Deorum aliquis fecit: nos manus ei utendas præbuimus. Et Sylla Romæ invidiam à sese amolitus est: cùm Fortunæ à se gesta accepta tulit. 7. Corrigenda laus concessa, ac traducenda in alia. Quod Pericles fecit, qui, cùm morti vicini, amici ac

necessarij tristes commemorarent ejus praturas, potentiam, trophæa, victorias, paulum sese erigens reprehendit eos, quòd communes multorum & fortunæ magis, quàm Virtuti debitas laudes retulissent; pulcherrima & maxima ipsiq; propria, hac laude prætermissa: quòd propter ipsum nemo Athenienstium nigram vestem sumpsisset unquam. 8. Nimia & adulatoria laus non admittenda: concedenda minora: majora recusanda: proferendum studium, voluntas, conatus qualiscunq;. Verbi gratia non acquiescendum sapientiæ nomen, sed studium.

9. Agnitio ac Confessio inter laudes defectus vitiorum, erratorum. Quemadmodum multi paupertatem, imperitiam, ignobilitatem inter laudes suas dum confitentur, invidiam retundunt. Ita Agathocles in figuli educatus officina, rex deinde factus, aurea pocula & cælata prohibens adolescentibus, jussit etiam fictilia præferri, ac talis, inquit, res est assiduitas laboris ac tolerantia, & fortitudo: nos olim lutea, nunc aurea facimus pocula.

10. Commonstrandum laudem qualemcunq; partam acquisitamq; esse multis laboribus atq; periculis. 11. Laus propria referenda ad commodum & utilitatem auditorum: ut hi scilicet ad imitationem Virtutum actionumq; præclararum excitentur. Quo modo Hector suas pugnas & facinora egregia apud Patroclum narrat, ut ad prælium illum inflammet

flammet: & novem Heroës ad singulare cum Hectore certamen. Et Cyrus, aliàs modestus, in periculis ac prælijs de se magnificè loqui est solitus, ut timidos animaret. Et Antigonus Secundus cætera moderatus: cùm quidam diceret: nònne vides, quanto plures hostium sint naves, me verò ipsum, inquit, quot navibus opponis? Plutarchus in libello, qua quis ratione seipsum citra invidiam laudare possit.

Modi quibus in dicendi libertate ac reprehensionibus utendum: ut offensio vitetur.

Quemadmodum verò in laude propria hi sunt modi, vitandæ offensionis causa, usurpandi: ita in reprehendendis & taxandis alij prudens quoq; moderatio requiritur: ne, ut Chrysostomus quodam in loco scribit, dum rupturam sarcire volumus, majorem diruptionem faciamus: collapsaq; cupientes erigere, casum graviorem inferamus. Hanc ad rem requiritur 1. Ne alieno tempore usurpentur vituperationes: quod adulatoribus homines objicere solet: qui, instar aquæ, à nimis adversis atq; arduis ad mollia & humilia delabuntur. Plutarchus in libello de discrimine adulatoris & amici veri. 2. In dicendi libertate dematur amor cæcus nostri; cavcatur, ne aliquam privatim ad nos pertinentem rem, veluti læsi aut dolentes exprobrare videamur: quòd, non benevolentiæ, sed iræ indicium: neq; admonitionis loco accipitur. Ibidem. 3. Mala libertatis condimenta removeantur: contumeliæ, risus, insectatio falsa, scurrilitas. Quod cùm non observarent apud Dionysium Antiphon. apud Cæsarem:

Timagenes malè sibi consuluerunt. Ibidem. 4. Occasionis neglectio vitetur: itaq; inter pocula & apud ebrios παῤῥησία abstineatur. Nubem siquidem Serenitati inducit hoc qui non observat: deo Lydio adversatur, qui, ut Pindarus ait, funem molestarum curarum solvit: etiam periculum sibi creat: quòd animi ob vinum ad iram præcipites sunt: nec deniq; dissimilis canibus ignavis est: qui ad mensam latrant: mutire aliàs non audent. Ibidem. 5. Apud eos libertate utamur, qui secundam & ad voluntatem fluentem non adversam fortunam habent. Ipsæ enim calamitates pœnitentiam inducunt & castigant: nimij contrà spiritus reprehensione libera retundendi sunt. Et qui homini afflicto & calamitoso παῤῥησία molestus est, idem facit, ac si quis oculo conturbato atq; inflammato medicamentum adhibet: quod visum acuit: atq; ita nihil de dolore imminuit, & iram cruciatui addit. Nutricum ergo hîc mos servandus, qui cadentibus pueris, non accurrunt, ut maledictis incessant, sed erigunt, abluunt, sedant: pòst demum ad objurgationes & castigationes veniunt. 6. Libera tum increpatio adhibeatur, cùm inhibendus est ad voluptatem, iram, contumeliam impetus factus, aut avaritia excutienda, aut habitus alius stultus animi oppugnandus. Fecerunt hoc apud Crœsum Solon, finem respicere jubens: apud Alcibiadem Socrates: apud Cyaxarem Cyrus: apud Dionem Plato. 7. Castigatio sub aliena persona fiat: alij objurgentur

qui

qui eodem vitio, quod reprehendendum laborant. Vsus hac ratione Ammonius est, qui cùm animadvertisset, discipulorum quosdam prandio non simplici fuisse usos, puerum suum à servo verberari jussit: quòd absq; aceto prandere non potuisset, simulq; in discipulos suos respexit. 8. Cavcatur ne coram multis, sed privatim objurgationes instituantur. Oportet enim tanquam morbi turpis, ita etiam peccati detectionem atq; sanationem occultam esse, nihil pompæ, aut ostentationis habere: nec amici, sed rabulæ est in alienis peccatis gloriam quærere. Itaq; non tam ebrietas fecit, quod ita graviter Clyti objurgatione commotus Alexander fuit, quàm quòd multis coram testibus eam usurpavit. Et Aristomenem præceptorem suum venenum bibere Ptolomæus coëgit: quòd in legatione audienda dormitantem illum excitasset: non privatim monuisset. 9. Culpæ atq; peccati communicatio adhibeatur: si, quæ objiciantur alijs, etiam in se agnoscantur. Ita Socrates, seipsum quoq; inscitia minimè vacare simulans, paulatim adolescentes redarguit. Et apud Homerum Phrenix sua ipsius delicta protulit, qui per iram etiam fratrem interficere suum voluerit, moxq; sententiam mutaverit: ne Achillem objurgans, arrogare sibi videretur, nihil ira sese commotum peccasse. 10. Admisceatur laus ac commendatio ejus qui reprehenditur: siquidem nec inflammato oculo lumen objici clarum debet: neq; affectu concitatus animus libertatem

objurgationemq; meram admittit. Et, ut ferrum ignis primò vi laxatum atq; emollitum, deinde frigidæ immissum densatur ac duritiem consequitur: ita amicis, postquam eorum laus animos calefecit, paulatim, quasi tinctura loco, reprehensio adhibenda libera est. Ac veluti medicus humanus somno aut victu morbum depellere, quàm castorio, vel scammonio mallet: ita amicus verus, benignus pater, ac magister laude potius quàm vituperatione ad morum uti correctionem gaudet. 11. Post reprehensionem acrem lenia adhibeantur: ad imitandum proponantur Medici, qui, ubi sectionem adhibuerint, non affectam partem in dolore relinquunt, sed hunc placidè rigendo ac perfundendo emoliuntur. Plutarchus in libello de adulatoris & amici veri discrimine. 12. Ostendatur nos hactenus longè melius de aliquo judicasse, & sensisse commodius, quàm reipsa nunc deprehendamus.

13. Parentum aut majorum repetatur & ob oculos constituatur memoria: eorundem præclara, tum dicta, tùm facta proferantur ac commendentur. Hæc enim, nisi extremè improbi filij & posteri exiterint, eos emendant ac corrigunt. Ita Scipionem reprehensurus Appius, quòd petiturus Censuram publicanum Philonicum adjutorem haberet, quàm, inquit, ingemisceret pater tuus, si videret in Censura petenda filium publicani opera niti. 14. Convitia & maledicta vitentur: si maledicentibus respondendum, eorum ora obturanda, respondeatur breviter

breviter, sine ira, & bile, commotione ac stomacho: adhibeatur mansuetudo ac lenitas: usurpetur jocus & gratia quædam, quæ tamen mordeat. Hoc enim nisi fiat, magna oriri mala atq; incommoda solent.

Primùm enim maledicta & convitia magis maledicentem deformant ac pudore suffundunt, quàm eum cui maledicitur. Deinde convitia ac maledicta magnorum negotiorum confusionem faciunt: ita ut sæpe status convertatur, neglectis rebus personalia tractentur. Tum conturbant deliberationes ac consilia in Comitijs & congressibus magnorum virorum: ut crebrò re infecta discedant inutiles sumptus fiant. Hinc Thucydides, author gravissimus, inter alias causas cur Græciæ status malus sit, etiam hanc affert: quòd primò ad Comitia convocatæ Civitates tardius conveniant: agitent deinde crebra convivia: tertio digladientur inter se de rebus privatis: postremò his comparatis & auctis domum revertantur. Plutarchus in libello de gerenda Repub. Incommoda, quæ & maledictis & convitijs oriuntur.

QVAESTIO XXV.

DE DISSENSIONIBVS ET INIMICITIJS, quæ in Repub. capessenda expectandæ: quomodo in his sese gerere magistratum oporteat, ut illis sublatis pax ac concordia servetur.

Dissensiones atq; inimicitias plerumq; publicis in muneribus atq; officijs oriri solere: exemplo

sunt Athenis Themistocles & Aristides, Pericles ac Cimon: apud Thebanos Epaminondas & Pelopidas: apud Romanos Sylla & Marius, Cæsar & Pompejus, plures alij.

Rationes pro dissensionibus & inimicitijs.

Sunt quoq; qui existimant, ut piscatus optimè succedit turbata aqua, & apes feliciter proveniunt, ad quarum alvearia murmur ingens est: ita aliorum discordia ac dissidijs emergere atq; inclarescere sese posse. Quin & aliàs inimicitiæ prodesse plurimùm videntur: ac sunt in ea sapientes multi sententia: etiam ex inimicis utilitatem corpore cordati hominis esse: rationes hanc ad rem istæ afferuntur.

Inimicitiæ prosunt, non obsunt.

Quod primò inimicus perpetuò vigilans res nostras infensus observat: circumit vitam undiquaq; ansam nocendi captans: maximè peccatis inhæret, eaq; investigat: quemadmodum vultures ad odorem cadaverum putredine corruptorum feruntur: pura & sana non sentiunt. Itaq; utile est, ut cauti providiq; vivamus: neq; quicquam temerè aut inconsideratè, vel dicamus, vel faciamus: neve gaudendi ac ridendi materiam inimicis præbeamus. Deinde ut Histriones ac Cantores Scenicos videmus sæpe in theatro remisse, ac nulla cum alacritate aut solertia agere: concertatione verò orta adversus alios, non seipsos modò, sed & instrumenta sua majore cum diligentia ad certamen aptare: fides explorare: accuratius concentum instruere & tibijs canere: ita qui adversarium paratum sibi esse novit:

novit: attentius se resq; suas circumspicere: vitam constituere solet. Ac propterea Scipio Nasica nonnullis affirmantibus: Rem Romanam in tuto nunc collocatam esse: deletis Carthaginensibus: in servitutem redactis Achæis, periculosè nunc Romanorum res sese habere dixit: cum non reliqui nunc sint, quos Romani, vel metuant, vel revereantur. Tum & optimus ulciscendi inimicos modus est, si quis probus honestusq; fiat: his sese exhibeat spectandum justum, prudentem, frugi: in dicendo laudabilem: in agendo purum: in victus ratione mundum.

Huc accedit, quòd inimicorum maledicta & convitia plurimùm nobis commodant. Vnde Antisthenes dicere est solitus: eum qui salvus esse debeat opus habere vel probis amicis, vel inimicis vehementissimis: quòd illi admonendo peccantes, hi criminando à vitijs avertant.

Postremò ad æmulationem ac concertationem honestam inimicitiæ inflammant: inimicorum nos lætæ res mordent. Quemadmodum enim scitè agricolæ rosas ac violas putant sese meliores facere, si allium & cepas juxta plantent: quòd in ea excernitur, quicquid alimento acerbum inest aut fœtidum: ita inimicus quoq; excipiens invidiæ & malignitatis nostræ ictus benevolentiores nos amicis, secunda utentibus fortuna reddit ac commodiores. Plutarchus in libello de capienda ex inimicis & hostibus utilitate.

Rationes pro amicitia & Concordia Magistratuum.

Vt verò rectè cuncta hæc sese habent: ita Reipub. maximè utile, imò necessarium est: ut inter Magistratus dissidia, dissensiones simultates, inimicitiæ vitentur: paci ac concordiæ studeatur. Ratio 1. Quia Magistratus res non est levis ac vulgaris, sed magna excellens, sacrosancta, χρῆμα ἱερὸν: ideoq; eundem unà qui gerit, religiosè amandus & colendus, non irritandus est: nec major honos est, quò affici Magistratus potest, quàm si pax, amicitia, & concordia cum Collegis colatur: discordia argumentum certissimum contemptus est 2. In multa mala atq; incommoda incidunt, qui cum collegis concordiam non alunt. Aut enim superioribus invident: aut ut cum paribus ita vivunt: ut turbas, tumultus, seditiones excitent: aut deniq;, ut sese inferiores contemnant: Plutarchus in libello de gerenda Repub. Iucundum inimicis præbetur, spectaculum. Infirmum redditur quicquid inter se dissidet. Aristoteles lib. 5. Polit. c. 6. 3. Amicitiã quæ pariunt ac conglutinant multa sunt varia: conversatio ac familiaritas quotidiana, colloquia, munera, studia communia. At amiciciam inter Collegas quæ parit: excitare ac fovere debet concordiam longè major est & præstantior Respub. atq; patria. Plutarchus de gerenda Repub. 4. Non modò simultates, sed bella quoq; finiuntur: ex infestis hostibus socij plerumq; fideles, interdum etiam cives fiunt. Albani, diruta Alba, Romam traducti sunt: Latini, Sabini, in civitatem

accepti

accepti, vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit: AMICITIAS IMMORTALES, INIMICITIAS MORTALES ESSE DEBERE. Livius lib. 40. 5. Pacis atq; concordiæ studiũ plura ac majora commoda, quàm discordia, & injuriarum propulsatio affert. Dio lib. 44. in oratione Ciceronis de ἀμνηστίᾳ, injuriarum oblivione post Cæsaris necem habita. Probant hoc exempla Pelopidæ & Epaminondæ, quæ Thebanam mirè Rempub. exercuit. Plutarchus in Vitis. Aristidis & Themistoclis apud Athenienses, ut & Periclis ac Cimonis: ubi memorabile quòd Aristides dicere est solitus: Rempub. Athenienſium nunquam incolumem futuram, nisi se & Themistocle in barathrum conjectis. Idem in horum vitis. Apud Rom. C. Marij & Syllæ: Cæsaris & Pompeij. ut idem in vitis suis notat: & Appianus de bello civili, & Plinius de Viris Illustribus cap. 67. 75. 77. Post Antonij & Augusti Imp. ubi omnia in urbe horum dissensione confusa conturbataq; fuerunt Dio lib. 46. Xiph.

Modi quibus inter Collegas in Magistratu inimicitiæ tolli: conservari pax & concordia potest.

Itaq; Modi tenendi, quibus dissidia inter Collegas tolli: conservari pax ac concordia potest: quorum primus est: ut si quæ sunt simultates, inimicitiæ, dissensiones ortæ privatis ex causis, in Collegio & officijs deponantur publicis, idq; propter Rempublic. Quemadmodum Aristides & Themistocles cùm ad Salaminem pugnandum contra communes hostes Persas esset, dissensiones omnes & inimici-

inimicitias patriæ in finibus deposuerunt: communicato consilio rem bene feliciterq; gesserunt. Plutarchus in vitis. Et apud Romanos M. Æmylius Lepidus & Fulvius Flaccus, qui licet inter sese gravissimè dissiderent, tamen, ubi populus eos simul Censores creavit, idq; præconi renunciatum voce fuit, ibidem statim in campo, nondum dimissa concione, ultrò utroq; & pari voluntate conjuncti complexiq; sunt, exq; eo die, & in ipsa Censura & postea jugi concordia fidissimè amicissimeq; vixerunt. Gellius lib. duodecimo, capite octavo. Idem Livius Salinator fecit, cùm Neronem Collegam nactus in Consulatu fuit. Valerius Maximus libro quarto, capite secundo. Et Q. Fabius Maximus qui Scipionem non amavit, ejus tamen actiones, quas utiles esse patriæ arbitratus est, defendere ac promovere minimè dubitavit. Plutarchus in Fabio. Et M. Crassus, qui Collegæ suo dexteram prior porrexit, neq; quicquam hîc sese humile, aut parum sese dignum committere ad populum dixit, cùm ille adhuc impubevem eum Magnum cognominarit. Idem in Crasso.

Alter medus est, ut cedatur ad tempus, locus ad tempus inimicis detur: relinquatur potius patria, voluntarium subeatur exilium, quàm turbæ dentur, in discrimen atq; periculum Respub. conjiciatur. Quod Cicero fecit, qui cùm videret, sibi aut armis contra Clodianos pugnandum, aut urbe cedendum esse, communicato cum Lucullo & alijs consilio

consilio, exilium ferre, quàm turbis ac seditionibus occasionem præbere maluit. Plutarchus in Cicerone. Ac licet durum admodum esse videatur uxorem, liberos, patriam, opes ac facultates suas deserere: tamen, comparatione facta, viri magni, erecti ac liberalis ingenij est magis, posse dicere: liberos meos amo: sed multò magis patriam: odio hunc prosequor, opprimere cupio: & majori patriam benevolentia complector.

Tertius est modus, ut dissensiones in Reipub. ortæ administratione, privatas ad res pervenire minimè patiamur. Quod Athenis Phocion, Romæ Cato observasse dicitur.

Quartus est, ut agatur placidè: aliquid remittatur, aut altera ex parte intendatur, atq; ita perveniatur ad medium: quemadmodum Musici, ut concentus sit concinnus, nunc intentione, mox permissione uti consueverunt. Quod tum, de Aristotelis in Rhet. sententia fit maximè cum cogitatur condonari ac remitti aliquid posse, imò deberi: quando aut negari factum non potest, sed λόγος, ratio veniam dare jubet: aut, quod est commissum, ab errore & casu non malitia proficiscitur: aut de humanæ naturæ infirmitate cogitatur, cujus proprium errare ac labi: aut spectetur προαίρεσις voluntas & consilium agentis: aut anteacta vita perpenditur.

Quintus est, ut cogitetur: Collegas nobis virtute

virtute esse vel superiores, vel inferiores, vel pares. Erga superiores, ut pax ac concordia servetur, requiritur θεραπεία, cultus: qui omnibus, re aliqua insigni præstantibus debetur. Qui inferiores sunt, κόσμῳ, ornatu opus habent: quò ipsi ornamento, non dedecori Magistratui sint. Qui pares ac æquales τιμῇ, honore conservandi: omnes amore & benevolentia mutua.

Sextus est, ut quatuor illa vitia removeantur, quæ concordiam & amicitiam inter Collegas tollunt: detractio, ἐπιχαιρεκακία, insultatio quædam, & lætitia orta ex alterius erratis: bene aut factorum aut dictorum extenuatio ex intempestiva æmulatione orta: ambitio pessimus dæmon ac causa omnium malorum in collegijs ac civilibus societatibus. Plutarchus in libello de gerenda Repub.

Septimus est, ut Ira caveatur, aut cohibeatur: quæ ut ille ait, & jam prudentes perdit. Potest autem ea coerceri, si 1. illi nascenti resistatur: ut enim ignem extinguit, qui materiam ei non suggerit: ita & præcavet, & arcet iram, qui eam initio non alit: neq; sese inflat. 2. Cogitetur qualis nam res ira sit: quòd hac correpti mutent faciem, colorem, incessum, vocem: ut, irascenti alicui speculum offerretur rectius, quàm nonnullis, ubi laverint, offerri solet: quò deformitatem suam viderent. 3. Lingua contineatur, ne iracundia quadam exasperata atq; inquinata in dicta absurda erumpat:

Iram præcavendi aut cohibendi rationes:

erumpat: proferat injurias: occultam malevolentiam prodat. 4. Perpendatur animi pusilli, abjecti, muliebris signum Iram esse. Videmus utiq; quòd mulieres magis iracundæ sint, quàm viri, & ægroti quàm sani, & senes, quàm juvenes, & qui rebus adversis, quàm secundis utuntur. 5. Statuatur etiam inefficacem illam ulciscendi rationem esse, quæ ab ira dependet: ut quæ ferè in morsum labiorum, frendendum dentibus, vanas incursiones, maledicta stultas habentia minas, insumitur, ac ridiculè tandem ultrò concidit. 6. Attendatur, ubiq; damnosam Iram esse: non huic dandum esse locum inter jocos, quòd amicitiam in odium mutat: neq; in disputatione, quòd studium cognoscendi in libidinem contendendi vertit: neq; in judicio, quòd potestati insolentiam addit: neq; in institutione liberali, quòd animo mœstitiam ingerit, odium gignit disciplinæ: neq; in rebus secundis, quia invidiam auget: neq; adversis, nam misericordia se privant, qui miserantibus infensi sunt, & cum ijs litigant. 7. Credulitas vitetur ac curiositas, quæ iræ suppeditare materiam solet. Plutarchus de Iræ cohibenda.

Postremus modus est: Patientia ut adhibeatur. Nunquam enim servari Concordia, nisi per solam patientiam valet: siquidem crebrò in actione humana nascitur, unde mentes hominum vicißim à sua unitate ac dilectione separantur: & nisi ad adversa toleranda animus sese præparet, procul

dubio humerus corpori non adhæret. Vnde D. Apostolus monet: ut invicem onera nostra portemus, & sic CHRISTI legem adimpleamus. Simanca lib. de Repub. 5. cap. 16. ex D. Gregorio. Laude verò hac clari extiterunt apud Spartanos, Lycurgus, apud Athenienses Pericles. Neq; quicquam aliud à cæde ac dimicatione continuisse homines Livius affirmat, nisi patientiam Magistratuum: quòd cesserint in præsentia furori atq; audacia paucorum. lib. 25.

QVAESTIO XXVI.

VTRVM REIPVB. SIT VTILIUS: Annuòsne & ambulatorios, an perpetuos Magistratus habere?

ETiam hæc utiliter utramq; in partem agitari Quæstio solet: & quidem quòd sint

MAGISTRATVS CONTINVANDI: constituendi perpetui.

Rationes pro perpetuis Magistratibus & officijs.

Illa probare videntur: quia primò omnis in Repub. esse pernicioſa mutatio solet: & ut in corpore victus ratio mutata parum prodest: ita quoq; Magistratuum in Repub. mutatio nequaquam eidem commodat. Aristoteles 2. Polit. cap. 6. Deinde annui Magistratus ac pauco tempore circumscripti hoc habent, ut cum quis aliquid in his didicerit, prius decedat, quàm ejus adhibere specimen

specimen posßit. Dio lib. 52. Tam annui Magistratus, alios intuentur, quia nondum usu edocti compertum aliquid habent: qui verò ijsdem rebus perpetuò præsunt, etiamsi minus ingenio valeant, longa tamen experientia cæteris antecellunt. Isocrates in Symmachico. Accedit huc quod ita subditis melius consulitur. Vnde Tiberius Imperator, cum amici quererentur, illum potestates ac imperia perpetua fecisse, respondit: hirudines, quæ multo sanguine hausto rumpuntur, quiescere: recentium morsus acerrimos esse: sic novos magistratus, quicquid sanguinis est, ac medullarum summa aviditate haurire: ut veteri proverbio dicitur: non parcit populis regnum breve. Bodinus lib. 4. de Repub. capite 4. Simanca lib. 8. cap. 37. Gregorius Tholozanus lib. 4. cap. 4. ex Iosepho lib. 8. antiquitatum Rom. Nicephoro lib. 1. Neq; illud contemnendum, quod cum authoritate ac majestate imperare is non potest, qui se brevi privatum fore metuit, majestate verò imperandi ac dignitate detracta Magistratui, quis parebit? quis metu contineri poterit? quis imperata exequetur? Sin potestas perpetua erit, & cum dignitate imperabitur, & cum obsequio parebitur: nec Magistratui metuendum erit, ne aliquando privatorum contumelias, aut improborum calumnias ferre cogatur. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 4. A Magistratibus præterea novis nova consilia, novæ leges, novi mores, nova instituta, nova edicta, nova judicia,

novi ritus, novæ legis actiones, nova denique rerum omnium facies ad Rempub. permanare convenit: unde veterum legum ac morum priscorum contemptus sequitur. Idem ibid. Itaq; & DEVS ipse Magistratus ac Iudices perpetuos constituit: & eosdem Plato sua in Repub. requirit: & etiam ijs in locis, ubi mutabiles fuerunt Magistratus, tamen aliqui pro consilio semper perpetui extiterunt. Et, ut prudens factum in Antonino Pio Imp. istud laudatur, quòd, factus Imperator nulli eorum, quos Adrianus provexerat, successorem dedit: eaq; constantia fuit: ut septenis ac novenis annis in Provincijs bonos præsides detineret. Iulius Capitolinus. Contrà quòd

MAGISTRATVS NON PERPETUI, sed annui constituendi.

Rationes pro annuis atq; ambulatorijs Magistratibus.

Ostendunt quæ sequuntur: quòd 1. etiam Iura ac leges illud requirunt. Neminem enim Impp. Valentinianus & Valens volunt susceptionis munere functum ad idem munus astringi, nisi se priùs vinculo solicitudinis superioris absoluerit: quòd neq; eos qui placuerint, gravare, justi: neq; eos, qui displicuerint, tenere prudentis sit. Codicis lib. 10. Titulo 70. Divus etiam Hadrianus de iterandis muneribus rescripsit in hæc verba: illud consentio, ut, si alij non erunt idonei, qui hoc munere fungantur, tum demum ex his qui jam functi sunt, creentur. Digest. lib. 50. Tit. 4. Deinde imperan-

imperandi illa parendiq; vicissitudo ac potestas, antequam corrumpat animum, relinquenda, reprimit ingenia fastuosa, nec inebriari nimia licentia sinit. Dionys. Halicarn. lib. 4. Diuturna imperia multos ad fastum ac tentandas res novas extollunt: mitiores verò efficiuntur, si aliquando privatim post gestum magistratum vixerint. Simanca lib. 8. de Repub. cap. 36. ex Dione lib. 52. Tum Reipub. quoq; interest, non paucos, verùm plurimos cives nosse, quænam hujus conditio sit: quibus rebus valeat aut careat: quæ ad hanc ipsam conservandam ac locupletandam faciant. Accedit huc, quòd nulla re melius præstantes & quàm optimi cives evadunt, quàm si virtutis præmia maxima, honores scilicet, curationes, imperia, magistratus omnibus, pro suis meritis tribuantur. Quod fieri non posse videtur, si Magistratus perpetui, non annui sint. Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 4. Pacem præterea ac concordiam inter cives nihil magis conservat, seditionum & discordiarum civilium fibras evellit, quàm æqualitas, quæ in honoribus tribuendis spectatur. Idem ibid. Etiam qui assiduò ad gubernacula Reipub. sedent, si nihil aliud, saltem illud experiuntur: ut res ipsorum domestica deterius disponantur. Exemplo sunt: Epaminondas Thebanus, Lysander Lacedæmonius, Aristides Athenicnsis, Fabricius Romanus, qui, dum publica negotia sedulò fideliterq; curarunt, sua neglexerunt. Vt silentio invidia involvatur, quæ oritur,

cùm in eadem familia quoq; continuantur Magistratus. Vnde Fabius Max. cùm à se quinquies, à parentibus ac majoribus sæpe gestus consulatus, etiam filio mandaretur, deprecatus est: ut vacationem honoris hujus familiæ Fabiæ concederent: ne maximum imperium in una familia continuaretur. Plutarchus in vita Fabij. Idem Cincinnatus, & P. Scipio Africanus fecerunt. Et Cato major cos qui crebrò Magistratus gerere cuperent, tanquam viarum ignaros dixit, velle semper cum lictoribus ambulare, ne errent. Cives quoq; reprehendit: quòd eosdem sæpiùs Magistratus reficerent: fore enim, ut aut Magistratum gerere, non magni rem pretij putare crederentur, aut non multos esse dignos, quibus Magistratus committeretur. Plutarchus in Catonis majoris vita. Athenienses deniq; Magistratus suos annuos habuerunt. Bodinus Methodi Historicæ cap. 6. Senatus Romanus censuit, Magistratus continuari contra Rompub. esse.

Exempla Rerumpub. in quibus annui Magistratus fuerunt.


In legibus XII. Tab. in officio Censorum habetur: Magistratum quinquennium habento: reliqui magistratus annui sunto. Et altera: Eundem magistratum ni decem anni interfuerint, ne quis capito: civitatem annali lege servanto. Propter Hyperionis superbiam ac crudelitatem non esse uni amplius parendum Megarenses censuerunt, sed annuos Magistratus creandos, qui vicißim summæ rerum præessent, Pausanias in Atticis. Carthagine quotannis annui bini electi reges fuerunt. Probus in Anniba-

Annibale. Apud Thebanos lex fuit, qua morte puniebatur, qui ultra tempus à legibus præscriptum magistratum retinuisset. Ælianus lib. 13. Plutarchus in præceptis gerendæ Reipub.

Concludi tamen hic ita posse videtur, ut doctissimi viri concludunt: ut majores Magistratus sint perpetui: annui atq; ambulatorij minores. Deinde Reipub. formæ ratio habeatur: in Democratia sint mutabiles Magistratus ad tollendam Invidiam: sub Monarchia perpetui: ubi Princeps æqualitatem popularem non curat: sed qui idonei sint maximè considerat.

FINIS Partis primæ Quæstionum Politicarum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0251
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0254
DFG

F. Reppien.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0255
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0256
DFG

Annibale. Apud Thebanos lex fu
puniebatur, qui ultra tempus à legib
magistratum retinuisset. Æliam
tarchus in præceptis gerendæ Reipul

Concludi tamen hic ita posse
Elissimi viri concludunt: ut major
sint perpetui: annui atq; ambula
Deinde Reipub. formæ ratio hab
mocratia sint mutabiles Magistratu
Invidiam: sub Monarchia perpetui
æqualitatem popularem non cu
qui idonei sint maxim
considerat.

FINIS Partis primæ Qu
Politicarum.





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730521761/phys_0257
DFG